BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Gesner, Andreas Samuel

# Andreae Samvelis Gesneri Selectae exercitationes scholasticae varii argvmenti

Noribergae 1780

Paed.pr. 1209
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10759799-2
VD18 14820730-001

**Copyright**

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

10759798

Sacc. Ap.
1209

UM,

Pag. 1.

24.

34.

fugerda. 45.

diolis fugere.

74.

86.

98.

105.

114.

primula 124.

ella pere

136.

ella pere

148.

pere

158.



10759799

Pat. Pr.

1209

Jesner



10759799

10759799

# ANDREAE SAMVELIS GESNERI
## SELECTAE
# EXERCITATIONES
# SCHOLASTICAE
## VARII ARGVMENTI.

---

COLLEGIT ET PRAEFATUS EST

THEOPHILVS CHRISTOPHORVS HARLES.

NORIBERGAE
IN OFFICINA SCHWARZKOPFII.
MDCCLXXX.

10759799

Bayerische
Staatsbibliothek
München

10759799

# THEOPHILI CHRISTOPHORI HARLES

## PRAEFATIO.

Gesneriani nominis reuerentia, quae in me a iuuentute magna fuit, iam potuerat me impellere, vt in colligendis atque edendis *Andreae Samuelis Gesneri*, Professoris quondam clarissimi, et Rectoris de schola Rothenburgensi vltra sexaginta annos optime meriti, fratris Ioannis Matthiae Gesneri, viri summi, opusculis operam quamdam atque tempus collocarem, eoque ipso aliquam laudem venarer et consequerer. Societas enim cum hominibus praeclaris et ingenio virtuteque nobilitatis ad opinionem, laudem atque existimationem est pleniſſima. Ego vero, qui gloriae vanitate et libidine minime ducor, ob vtilitatem, quam praestant, singularem, et veram, quibus oblectant detinentque lectores, varietatem, et suauissimam orationis romanae elegantiam atque vrbanitatem,

tem, quibus virtutibus, noſtra aetate ſa-
rioribus, ſplendent, horum edendorum
libellorum conſilium non tam ipſe cepi,
quam potius in ephemeridibus noſtris lit-
terariis, pag. 136. a. 1778, obitu b. viri
memorato, expoſui, auctorque exſtiti, vt
aliquis laborem illum litteris vtilem ſuſci-
peret. Quod meum conſilium ſiue votum
quum heredes et nominis et virtutum pa-
ternarum legiſſent: me, quem familiae
ſuae cultorem noſſent, huiusque voti au-
ctorem facile intellexiſſent, per litteras ro-
garunt, vt ipſe id conſilii exſequerer. Quo
facile a me impetrato, mihi, quaecum-
que adhuc ſupereſſent, proluſiones (nam-
que haud paucarum exemplaribus ipſe b.
auctor ſe carere in ſchedula quadam nota-
rat) ſcholaſticas miſerunt. Ex addita au-
tem illa ſchedula cognoui, virum ipſum
beate defunctum de collectione ſuorum
opuſculorum quondam cogitaſſe. Nam
cum ordinem, quo forſan editurus erat, et
quem ego, vt vltimo veluti mandato ob-
ſequerer, in hac collectione vt plurimum
ſeruaui, praeſcripſerat, tum ſingularum
exercitationum indicarat argumenta.

At

At quoniam aetas noſtra delicatula grandia volumina, eaque in lingua Romanorum conſcripta, faſtidire ſolet, ex iis, quae ad me venerant, illas commentationes, quae a Gesnero ipſo reliquis praelatae viderentur, et mediocri volumini ſufficerent, maximam partem delegi, Steinio, viro honeſto et multiplici vtilique rerum litterariarum cognitione multos ſui generis fortisque homines ſuperante, periculum faturo, num reliqua quoque deſiderarentur. Aliquot enim ſuperſunt libelli minores, qui in paucorum ſunt manibus, et tamen lectu ab interituque vindicatu digniſſima: ſuperſunt orationes atque panegyrici, ab illo ſumma cum diligentia ſcripti. Atque hi libelli, quos in vno faſce comprehenſos iterum publici iuris facio, plurium, ſpero, ſitim excitabunt potius, quam exſtinguent.

Namque, praeter raram illam dotem, maſculam atque elegantem orationem, tanta eſt rerum varietas, vt vel haec ipſa delectet atque adliciat: ſiquidem Gesnerus modo de viris claris aut libris rarioribus docte adcurateque differuit; modo ortum

et conditionem ſcholae Rothenburgenſis ita expoſuit, vt ratio docendi diſcendique maioribus noſtris ſueta, et noſtrae aetatis felicitas reique ſcholaſticae emendatio inde pateſceret; modo conſilia ſobriae inſtitutionis vitaeque puerilis regundae ſaluberrima ſuppeditauit; modo de aliis rebus vtilibus aut ſcitu neceſſariis apte iucundeque diſputauit, populari dicendi genere vſus. In omnibus vero eminet ſuauitas orationis atque acumen ingenii. Atque veteranum et artificem de arte ſua lubentius, quam tironem, necdum exercitatum, audire ſolemus loquentem. Videmus iidem, Gesnerum multa, at modeſta et verecunda ratione, praecepiſſe, quae noſtra aetate nonnulli ſatis arroganter, quaſi antea ignota atque inaudita, primi dixiſſe ſibi ſcilicet videntur et gloriantur. B. autem Gesnerus ſuas proluſiones ſubinde emendare, et, quum non more multorum in primo litterario ſtadio curſuque ſubſtitiſſet, nec ſpreuiſſet noua; ſed illud, plus vltra, quaſi in votis ſemper haberet, et antiqua cum nouis perpetuo prudenterque coniungeret, ex diffuſa lectione conſueuit locu-

10759799

locupletare, Hinc multa ex recentiore lectione congesta adleuit margini, quae in ordinem redacta suo loco inserui. Quo quidem factum est, vt noua haec collectio *libellorum* pristinis olim seperatim editis multum praestaret.

Ex his igitur particulis praeclarum Gesneri nostri ingenium, liberalis eruditio, et litterarum copia poterunt facillime perspici. Atque nisi vel verecundia, quae in illo erat magna, vel multitudo laborum scholasticorum, quibus per omnem vitam occupatus erat et, paene vt dicam, obrutus, prohibuisset; plura sane maioraque voluminа, tamquam sempiterna ingenii sui atque doctrinae diligentiaeque monimenta, reliquisset: saltem, vt id faceret, olim plures optarunt. Ex vngue enim, vt est in prouerbio, cognoscimus leonem. Enimuero multitudinem atque praestantiam, bene sciuerat, non semper pari constare ratione. Quapropter sua se virtute inuoluit, et muneri suo scholastico vnice vacans, in fidaque iuuentutis, suae curae commissae, institutione vnicam laudem, atque in recti conscientia summum praemium

mium quaerens, fratri ſuo aliisque honorem et prouinciam illam lubenter conceſſit. Fratri tamen in ornando augendoque Theſauro L. L. multum praeſtitit operae ſedulus ſocius, magnamque illius operis laudem ſibi potuit vindicare: id quod ipſe J. M. Gesner palam profeſſus eſt. Atque fuerunt docti homines, qui, antequam prelo ſubieciſſent libellos, eos ad Gesnerum ſuum cenſendos emendandosque mitterent.

Iuuat tamen virum hunc quondam amabilem et omnibus, qui eum nouerant, propter comitatem, humanitatem, vrbanitatem nec fucatam erga deum pietatem cariſſimum, qui praeter ea boni fidique praeceptoris fuit exemplar, penitius intueri, de eiusque vita fatisque, quae mihi cognita ſunt, exponere. Quum vero ipſe magnam vitae ſuae partem litteris conſignatam reliquiſſet, et de prima vitae ſtudiorumque ratione differuiſſet copioſe, eius ipſius verba repetere, haud ingratum videbitur lectoribus; iis tantum antea poſitis, noſtrum prima vitae vſura frui coepiſſe die 28. Octobr. a. MDCLXXXVIII. Rothae, quod paruum oppidum eſt in terris Onol-

Onoldinis, patre vſum *Joanne Samuele Gesnero*, tunc temporis Diacono, qui poſtea Auhauſam translocatus, ſacra ibi administrauit; matrem vero fuiſſe *Mariam Magdalenam*, natam *Huswedlin*. Tum ita pergit;

Magiſtri in prima infantia; Ritter, praeceptor Auhauſae, quem valde dilexi, in cuius ſcholis prima elementa auſcultando et intuendo tantummodo didici, ita vt puer quadriennis iam legere atque litteras pingere poſſem. Huic ſucceſſit Stollberg, homo morosus; quem excepit Zuckmantel, poſt vitricus meus, ſub quo bene profeci. Patrem etiam latinas fabulas mihi fratrique meo Göttingenſi narraſſe et Corderii Colloquia, item Corn. Nepotem mihi explicaſſe probe memini. Puer duodecim annorum et aliquot menſium Onoldum deductus in IV. Claſſe locum nactus ſum, praeceptore Maiero, poſt paſtore Creglingenſi, cuius fidem et diligentiam non poſſum non laudare.

Hoc tempore patre orbatus ſum. Anno exacto in Vtam translatus inſtitutio-

ne vſus ſum Beckii, poſt Decani Weimersheimenſis, cui multum debere me gratus profiteor, plus facile debiturus, ſi humanior fuiſſet. Sed graecae linguae parum aberat, quin odium mihi incuteret. Nam ex grammatica Golii aliquot folia ediſcenda quotidie proponebat, quae, fateor enim, nunquam recitare poteram. Si vnius alteriusue verſus N.T. mihi interpretationem praeiuiſſet, breui profecturus eram inſigniter. Sed tamen voluntatem eius gratus agnoſco, nam et non rogatus et gratis id faciebat. Tres annos in Vta moratus, in VI, ſeu ſupremam translatus praeceptorem optimum nactus ſum Ge. Nic. Koehlerum, qui patre meo praeceptore domeſtico uſus erat. Ei cum propter inſtitutionem publicam multa, tum linguarum, quarum multas eum callere videbam, et librorum noſcendorum ſtudium debeo. Is ſingulari me beneuolentia complexus filium erudiendum mihi committebat, eamque tenuem meam operam remunerabatur etiam, non cuni didactro, quod ei debuiſſem, compenſabat. Cum

eo

eo deinde iucundum litterarum commercium mihi fuit. Tres annos cum eum audiuiſſem, Ienam petii, cumque Vitricus, is, quem iam laudaui, Zuckmantelius, ſumtus neceſſarios ſuppeditare non poſſet, Hambergerus, Prof. Mathem. et Phyſ. exhibito a me, quod poſtulauerat, ſtili ſpecimine, filium Ge. Erhardum, poſt Profeſſorem et ipſum longe celeberrimum, inſtituendum mihi commiſit, locum in Conuictorio et Muſeum, lectum, ligna, mercedem operae dedit. Quum aliquot diei horae inſtitutioni dandae eſſent, audiui tamen, quantum fieri poterat diligenter Hambergerum hoſpitem meum, Curſum matheſeos, Aſtronomiam, Phyſicam, Geographiam explicantem. Sed Sturmii matheſin enucleatam, cum ſcholis priuatiſſimis explicaret, iis intereſſe mihi non permiſit.

Lungershauſenium logicam ſuis praeceptis quibusdam utentem audiui paruo cum fructu, quod quicquid proferebat in Bechmanni Logica memineram me didiciſſe, etſi cui vſui eſſent illa praecepta,

pta, non perſpiciebam. Maiore cum fructu intereram acroaſibus Syrbii cum publicis, quibus Clerici artem Criticam in compendium redactam explicabat, tum priuatis, quibus philoſophiam primam ſuo more tradebat.

Ioh. Ge. Müllerum, litteraturae graecae Prof. quum Ariſtotelis Rhetoricam publice interpretari adgreſſus eſſet, cupide auſcultaui. Sed quum numerus auditorum, quos promiſſum viri optimi, ſe ad homileticam artem Ariſtotelica praecepta, exemplo Goezii accomodaturum allexerat, graecam linguam aſpernantium breui vehementer imminutus eſſet, maturius quam optabam ego et frater meus et L. A. Hambergerus, eae ſcholae finitae ſunt: B. etiam G. Struuio in Introductionem ſuam in hiſt. litter. item hiſtoriam nouiſſimam commentanti adfui: I. H. Danzium libros aliquot Biblicos ad grammaticae potiſſimum regulas reuocantem, item Michlal Iophi explicantem, poſtremo elementa linguae arabicae inſtillantem audiui, qui etiam ad munus ſcholaſticum

cum

cum commendaturus me erat, nisi Hambergerus interceſſiſſet. Alia etiam fauoris Danziani documenta habui. Ruſium curſoria lectione libros hiſtoricos V. T. interpretantem audiui, beneuolum et liberalem expertus. Non iam dicam Wilduogelium Iuſp. Schulzii ductu tradentem et Brücknerum in Grotium commentantem me audiuiſſe. Roux grammaticam gallicam publice explicantem auſcultaui. In Theologia diſcenda Förtſchium inprimis ſecutus ſum, Theol. dogmat. Baieri filo comite tradentem, tum et in libros ſymbolicos commentantem et ad ductum ſynopſeos controuerſiarum Olearii controuerſias theologicas explicantem. Cumque non tantum, quantum par erat, temporis Buddei praelectionibus audiendis tribuere poſſem, feci tamen, ut aliquo modo ſarcirem iſtum defectum, legendo ea, quae alii ex ore eius calamo exceperant. Poterant autem propter lentiorem paullo pronunciationem facile ſingula eius verba excipi ab iis, qui velociter litteras pingere adſueti erant.

Quae-

Quaedam etiam descripsi et Introductionem in controuersias religionis (Einleitung in die Religions-Streitigkeiten,) quae deinde totidem fere verbis edita est, it. Introductionem in historiam Theologiae, quam Knorrius, post Consiliar. imperat. aulicus, etsi magnum pro eo Collegio priuatissimo didactrum soluendum erat, beneuole mecum communicauit.

Ceterum, quod ad philosophiae studium attinet, fateor, non satis mihi probatam fuisse eam philosophiae docendae rationem, quae tum Jenae in vsu erat, neque me impetrare a me potuisse, ut multum ei operae darem. Sed quum D. Beckium in Puffendorfii libellum de off. h. et c. item Wucherum Buddei Logicam, ni fallor, explicantes audiuissem per vnam alteramue horam, nihil adferre mihi videbantur, quod mihi satisfaceret. Sed nesciebam tamen, quae eius rei caussa esset, nisi quod non satis demonstrari, quae docebant, licet paullo obscurius, percipiebam.

Quin-

Quinquè annos fere contriueram, quum Buddei commendatione adiutus, lautam, ut loquuntur, conditionem nactus ſum, Erdm. Otton de Schwicheldt, poſtea theſaurarium Hannouerae (Chur-Hannöveriſchen Schaz Rathes,) ſtudiis moribusque regendis praefectus. Abii igitur anno 1714. circiter XIV. dies ante feſtos dies Paſchatos, Halam Magdeburgicam, ibique per aliquot dies commoratus, Brunſuigam in ea hebdomade, qua memoriam mortis ſoteros noſtri recolimus, perrexi, comite Ledebuhrio, legato Hannouerano ab epiſtolis in comitiis imperii romani. Accidit in eo itinere, quod non indignum relatione puto. Cum nocte illam ſiluam transiremus, ad aures noſtras accidit vox plane feralis neſcio cuius auis aliquoties iterata: eam ſimul atque audiuerat Ledebuhrius, rogabat me, vt ſecum curru, quo vehebamur, deſcenderem, feralem enim iſtam vocem infortunium aliquod portendere. Ridebam ego et nolle me per viam lutoſam cum ſumma mea moleſtia

leſtia incedere, neque enim huiusmodi ominibus atque portentis, vt vulgo habeantur, quicquam eſſe tribuendum. Tum is, ſcio, inquit, haec ab eruditis vulgo contemni; at ego multa experientia didici, numquam hanc vocem audiri, quin aliquid mali conſequatur. Neque rogando ac obtundendo prius deſtitit, quam curru deſcenderem. Vix perparuum viae ſpatium pedites abſolueramus, cum ecce! currus, vel, carpentum, (die Land-Gutſche,) ab aggere, per quem transibat, ex ſarmenti faſcibus facto in ſubiectam paludem delapſus eſt, vt rotae conuerterentur. Niſi igitur deſcendiſſemus, ſaltem in lutum delapſi et toti ſordibus immerſi fuiſſemus: aut facile fieri potuerat, vt in maius malum incideremus. Ibi vero homo meus triumphare, et verum ſe praedixiſſe gloriari non defuit, et eo ipſo die, qui hanc noctem antecedebat, Anton. Vlric. Dux Brunſuicens. diem ſuum obierat. Sequenti die ſacro, quo memoriam ſupplicii noſtri redemtoris celebrare ſolemus

10759799

mus, Brunsuigam venimus. Ibi cum Schvvicheldtio D. Merzii f. Martii, cuius de Magia naturali libellus proſtat, per aliquot menſes conuictu pariter atque amicitia vſus ſum. Peinam deinde in Epiſcopatu Hildeſienſi ſitam vrbem, vbi Schvvicheldtiorum ſuburbania et ſedes, conceſſimus, ad matrem viduam alumni mei ex gente Grotiana, von Groten. Ea, quum annis iunioribus vitam, quam ſolent fere nobili genere nati, egiſſet, Halam Magdeb. aliquando veniens, audito A. Herm. Franckio, priſtinam conſuetudinem priſtinosque mores depoſuit, et egregiam vitae emendatae exemplum praebuit. Commoratus ſum Peinae 15. circiter menſibus, non tamen continuis, ſaepe enim animi valetudinis cauſa excurrebamus. Vidi per hanc occaſionem Hannoueram, Herrnhuſam, Cellam, Hildeſiam, Goslariam, Guelferbytum, Herzbergam, vbi per aliquot dies apud Dn. ſupremum militum tribunum de

Groten, Heræ meæ fratrem commorati, ab eo Clausthaliam deducti sumus, vbi in fodinis omnia visu memoratuque digna nobis monstrata sunt.

Clausthaliæ inuisi ad Casp. Caluörium, Superintendentem, qui me humanissime excepit et anecdota quædam mihi narrauit. Excurrimus etiam Wrisbergholtensen, prædium domm. de Wrisberg. Wrisbergius legatus Elect. Brunsu. ad Comitia et Visitator Camer. Iudicii, vir humanissimus, quocumque aliquando in horto Peinensi me deambulasse iucunde recordor. Cellæ iussu Heræ Marquardum, (Ober-Appellations-Rath) supremi iudicii consiliarium, adii, et apud Bulouiam, feminam nobilem et diuitem, originis Gallofrancicæ, propinquam, nisi fallor, ducissæ cellensis, d'Entiers, pransus sum. Kirchbergæ etiam apud affinem Herae meae, Dn. de Campen aliquot dies versati sumus. Item Walmodiae, ubi Dni. de Walmoden,

moden praedium habent, vnde in vicinum Monaſterium ord. Sti Benedicti Ringelheim diuerti.

Anno 1715. circa feſtum Michaelis Halam Magdeb. cum Schwichcheldtio meo abii. In eo itinere quum Helmſtadium ſero veſpere veniſſemus, tamen Prof. LL. OO. celeb. von der Haardt adii, cuius viri comitatem et facundiam admiratus ſum. Nam vltra horæ ſpatium de rebus litterariis et litterarum ſtudiis ſermocinatus eſt, et Veteres, quantum memini, legendos commendabat. Inde Magdeburgum delati, ibi quoque moram aliquam fecimus, ac celebre Coenobium Bergenſe, eiusque abbatem venerab. Breithauptium inuiſimus. Ibi et Ioh. Iuſt. ab Einem noſſe datum fuit, variis ſcriptis celebrem. Vidi et Cœnobium B. Virg. Mariæ, cui Bottenveckius tum præerat, et cum Schmidtio, Rectore ſcholae eius cœnobii, quo Peinæ amico vſus fueram, pluſculas horas iucunde exegi. Halam adpulſi apud

Schneiderum, Prorectorem Magnif. nomina profeſſi et in album ſtudioſorum inſcripti ſumus. Excellent. Bœhmerus, tum Conſiliarius Aulicus, quibus ſcholis intereſſe Schwicheldtio meo utile ſit, rogatu Heræ meæ, præſcripſit. Audiuimus igitur primo ſemeſtri, nam omnibus Collegiis ego cum Schwicheldtio intereram, ut repetere cum eo audita poſſem, ex conſilio Boehmeri Heineccium, qui philoſophiam inſtrumentalem Buddei explicaturus erat, ſed neſcio quare coeptum Collegium non abſoluit. Hahnium, poſtea Prof. Helmſt. hiſtoriam vniuerſalem tradentem, vbi ſtupendae memoriae documenta dedit, et ipſum Boehmerum Struuii Iurisprud. germ. interpretantem, quem omnium, quos audire datum fuit, doctorum, propter ordinem, perſpicuitatem et ſoliditatem et vocis geſtuumque aptam moderationem maxime probaui.

Altero ſemeſtri Gundlingium Hiſtoriam ductu Puffendorfii enarrantem

10759799

rantem et Boehmerum iterum, Introd. ſuam in ius Digeſtor. explanantem, ſectati ſumus, qui et ſingulis menſibus priuatim domi ſuae Schwicheldtium meum me praeſente, de iis, quae in Collegio ab eo audiuerat, interrogauit ſeu examinauit. Domi noſtrae Magiſtri linguae gallicae, primum Arcangelus, Lotharingus natione, deinde Longchamps, nobili, ut ipſe praedicabat, familia ortus, nos conueniebant. Linguam anglicanam, cuius fundamenta iam Ienae poſueram duce Anglo quodam Wagersleſio, praeeunte Ioa. Daniele Grubero, poſtea Prof. Gieſſenſi, tandem Conſiliario et Hiſtoriographo Hannouerano, didici, iucunda ſimul conſuetudine viri doctiſſimi per aliquot menſes vſus. Illud me mordet etiamnum, quod ex Chriſt. Wolffii praelectionibus proficiendi occaſio mihi praecluſa fuit. Nam cum Schwicheldtia conſilia Franckii, Theologi, ſequeretur, isque, ut notum eſt, Wolffium irreligionis cuiusdam ſuſpe-

10759799

Cum haberet, perſuaſit Schwicheldtiae, ut filio mihique eius ſcholas frequentare interdiceret. Praedixit mihi Kamien, *) Berolinus, vir iuuenis eruditiſſimus, diſcipulus Wolffii, amicus meus, fore aliquando, vt me poeniteat, hunc virum non audiuiſſe. Sed niſi excidere mea ſtatione vellem, id facere non poteram.

Hala Lipſiam ad nundinas viſendas excurrimus. Sed neminem eruditorum conuenire mihi licuit. Bibliopoliis igitur aliquot adeundis inter nundinarum ſtrepitum, contentum eſſe oportuit. Orphanotrophaei et Paedagogii regii ex propinquo inſpiciendi opportunitatem me habuiſſe, non ſine voluptate recordor; ac vix vllam hebdomadem abire patiebar, quin Bibliopolium Orphanotrophaei inuiſerem, vbi ſaepe cum Elers, nomine in controuerſiis pietiſticis, quas vocant, noto, iucunde confabulari

* qui pro Wolffio aduerſus Rudigerum libellum edidit, ſed rarum, cuius unum tantum exemplar vidi.

bulari et multa ab eo discere mihi licuit. Breithauptium abbatem, quem Bergae conueneramus, Halae quoque conuenimus, qui salubria nobis consilia impertiebatur, et Chronicon Carionis et l'Abbadie librum de veritate religionis Christianae vehementer nobis commendabat. Franckium etiam adii et Antonium, a quo ipso quoque, quae iuuarent, cognoui. Eo anno Ziegenbalgius Halam venerat, quem Glauchae verba e suggestu facientem audiui et postea vt in Daniam profecturus, in itinere ad Heram meam diuerteret, inuitaui; paucorum is erat verborum, propter festinationem fortasse. Hospitio vtebatur Langii, quem, nescio qui factum sit, vt non conuenirem, etsi in ædibus et auditorio eius apud populares meos duos fuerim.

Neque illud praeterire hoc loco possum, vocatum me aliquando fuisse ad Allardi Ducis militum vxorem, quae tum Conuictu vtebatur Wieglebii, pastoris Glauchensis et omni

cultu vitae frugalitatem sectabatur, vt haberet, quod pauperibus elargiretur. Ea de rebus Schwicheldtianis, norat enim, credo, Heram meam, me perhumaniter percunctata est. Solebat ea exercitationibus pietati consecratis (den Erbauungsstunden) D. Antonii, quas quidem praecipue in Studiosorum gratiam habere solebat, frequens interesse, sed in discreto ab auditorio conclaui.

Praeter Schwicheldtium curae et inspectioni meae concreditus erat etiam Iobst von Oldershausen, item per aliquot menses de Albedyll, cuius patrem, ducem militum, Peinae viderам. Habuerat is praeceptorem Sigismundi nomine, postea Professorem in Gymnasio Reualiensi, qui quum domum reuocaretur, alumnus eius mihi commendatus fuit. Is Sigismundi per Widenmannum salutem mihi dici iussit, eramus enim Halae amici. Diebus Saturni interera-
mus horis cantui et precibus sacris
(den

(den Singſtu..., vt vocari ſolebant) quibus in Orphanotrophaeo b. Franck oratione breui animos audi-

torum ad pietatem acuere atque ex-

citare ſueuerat.

Circa finem Septembris per litteras amicorum domum vocabar, quod ſpes eſſet muneris alicuius adipiſcen-

di. In viam igitur me dedi, Ienae-

que fratrem Conrectorem tum Vi-

narienſem offendi, quocum Vina-

riam abii, ac poſt aliquot dierum mo-

ram Ienam redii, benigno hoſpitio Hambergeriae, cuius filium inſtitue-

ram, ipſa ſic volente, vſus. Paullo poſt Norimbergam veniens a fratre Iacobo Chriſtiano, Pharmacopoeiae tirone, per vrbem circumductus ſum, tandemque Onoldum appuli ad Hambergeri mei ex fratre nepotem, qui in ædibus Seefriedianis habitabat, hoſpitio exceptus. Factum eſt dein-

de, vt, me inſcio, Hambergerus pa-

ter, ſine dubio filii teſtimonio per-

motus Ven. Hartmanno me commen-

 daret,

daret, eo effectu, vt ad examen inuitarer, ac poſtea ad Rectoris munus obeundum litteris Ampliſſimi Senatus vocarer, ad quod cum ipſo die Martino ſacro huc veniſſem, paucis diebus poſt inauguratus ſum. Qua fide, quoue effectu id geſſerim, non eſt meum judicare. Non defuerunt, qui in me reprehenderent, quod iure laudandum erat, ſtudium nempe aliquale purioris latinitatis; quae reprehenſio anſam dedit praefationi, quam amantiſſimus frater meus praefixit Vorſtii libro de Latinitate ſelecta, vulgo neglecta, quam mihi, niſi noluiſſem id fieri, dedicaturus erat.“

Hactenus beate defunctus Geſnerus. Reipublicae vero Rothenburgenſis proceribus ita probauit ſuam operam, fidem atque dexteritatem, vt illi ſua ſponte a. CIↃIↃCCXXXVIII. noſtrum honore Profeſſoris ornarent, annuumque augerent ſalarium. Sapientes enim illi viri probe perſpexerant, ſcholarum

larum florem florem esse reipublicae, et, quod Fridericus Sapiens, Saxoniae elector, iam censuit (apud Tenzelium histor. Reformationis, Part. II. pag. 393. et 460) *ut scholae floreant rectèque se habeant, tantum interesse reipublicae, nullius ut rei magis.* Quae vero doctoribus maiora incitamenta ad alacritatem, fidem acriusque studium esse possunt, quam honores et praemia? Contemtus enim non parit existimationem, in scholis in primis necessariam, anxiaeque vitae victusque curae deprimunt animum franguntque ingenii vires. *Hoc specimen est*, ait Symmachus libr. I. ep. 79. *florentis reipublicae, ut disciplinarum professoribus praemia opulenta pendantur.* Atque Heumannus, cui duo illa loca debeo in Conspectu reipublicae litterariae cap. V. p. 54. recte addit: *Audite hoc, Principes! audite Principum amici!*

Carus itaque discipulis, carus proceribus reipublicae, qui fere omnes

nes eum, senem, suum quondam doctorem litterarumque ducem coluerunt; carus suis omnibusque bonis eam felicitatem, qua pauci frui solent, consequutus est. Quoscumque ego illius disciplinae alumnos a multis annis noueram, eos omnes niemini, cum summa pietatis gratique animi significatione Gesneri sui virtutes vastam, et tamen adcurata librorum litterarumque notitiam ac peritiam, fidem atque alacritatem in docendo singularem, methodum facilem et promtam paratamque eruditionem praedicare. Quam carus fuerit Optimatibus reipublicae, praeter memoratum beneficium id etiam erit satis testimonii, quod eum a. LXXI. huius saeculi, post lustra duodecim et amplius in stadio puluereque scholastico, omnibus plaudentibus, laudabiliter exacta, rude donarunt, ad reliquum vitae quiete transigendum, eique omnia muneris emolumenta, pro eo, ac par fuit, concesserunt. Antea vero a. LXVI. iubilaeum celebrauit scholasticum.

In tanta vitae munerisque occupatione multa alia ei contigerunt fausta iucundaque: in primis, quod quidem summis

mis beneficiis diuinis adnumerandum eſt, quod foecundam florentemque vidit ſubolem: quamquam, quae eſt vitae humanae viciſſitudo atque imbecillitas, vt ſummam vitae ſuauitatem; ita quoque fortunae acerbitatem in matrimonio multoties ſenſerat. Ex duabus enim vxoribus duodecim ſuscepit liberos, et multos nepotes neptesque oſculatus eſt: prioris tamen conjugis et multorum liberorum nepotumque funera curare debuit.

Primum vero matrimonium anno CIↃIↃCCXVII. iniit cum Catharina Maria, ex ſtirpe Krauſia, quae octies enixa eſt. At fœcundi huius matrimonii duo tantum adhuc ſuperſunt pignora, Catharina Maria, quae bis nupta fuit, et Chriſtophorus Fridericus, ordinis ſenatorii ſecundi adſeſſor et conſul, atque militaris officii deputatus: ex cuius matrimonio noſter vidit duo nepotes et quinque neptes.

Prioris matrimonii vinculo poſt tria luſtra obitu vxoris rupto, a. XXXII. hujus ſeculi ad ſecundas transiit, Lucia Maria Dorothea, nata Schragen, domum ducta; quacum quadraginta et quinque annos

nos iucunde vixit, et quam reliquit viduam. Illa vero noſtro quatuor peperit liberos, adhuc ſuperſtites Mariam Euphroſinam Luciam, quae in manus poſtea venit Io. Adami Albrechti, verbi diuini praeconis; Ioannem Samuelem, in praeſenti iudicem caſtrenſem in exercitu Danico, in Iutlandia; Ioannem Auguſtinum Philippum, Medicinae doctorem celeb. phyſicum patriae ordinarium et Principi Oettingenſi ac Wallerſteinenſi a conſiliis aulae, eruditione, ingenio ſcriptisque clariſſimum, quocum in hac noſtra vniuerſitate me olim amicitiae vinculo fuiſſe iunctum, in iisdemque aedibus aliquamdiu habitaſſe, laetor, et dulciſſima conſuetudinis vitaeque academicae memoria recreor; denique Iulian. Dorotheam Felicit. quorum tres priores optimo parenti ſeptem nepotes, partim vero iam defunctos vita, dederunt oſculandos.

Quae vero acerba noſtro acciderunt, ea forti et chriſtiano animo tulit, multo pluribus laetioribus et gratioribus, tamquam virtutum praemiis, a deo T.O.M. acceptis. Quod enim ſobrie ſancteque vixit, tempore ſapienter vſus, nec ſe a nugis

10759799

nugis vitiisque humanae vanitatis motibusque animi vehementioribus, quae omnia corporis animique firmitatem destruere solent, abripi passus est: ad vltimum fere vitae suae tempus ea corporis valetudine animique vigore atque alacritate viguit, vt omnibus humanitatis muneris officiis quotidie facere satis, et vel paucis diebus ante mortem lectione libellorum recens editorum animum pascere atque reficere posset. Adde quod vltra octoginta annos natus initia religionis christianae a Ven. Seilero germanice conscripta, tam eleganter venusteque et vere latine vertit, vt Terentium christianum audire legereue nobis videremur, omnesque, qui de stili bene latini virtutibus iudicare possent, hanc interpretationem mirifice laudarent atque commendarent. Vltimo demum anno vitae imbecillitatem viresque animi corporisque debilitatas magis sensit, et marasmo, quem dicunt, senili confectus, tandem, postquam LXII. annos muneris sui, Gymnasii vrbisque fuit ornamentum suorumque deliciae, deo suo, quem viuus integra mente veneratus est, animum placida morte reddidit, annos LXXXVIII.

LXXXVIII. et quinque menſes natus. Haue, animula beata! Terra leuis ſit corpori tuo!

His igitur de b. Gesneri vita fatisque et meritis, quorum memoria nunquam delebitur in animis ciuium ſuorum omniumque, qui bonas litteras amant, expoſitis, opto, vt omnes ſcholarum moderatores doctoris illius praeſtantiſſimi ſint fiantque ſimiles. Quae felicitas ſi cunctis contingeret ludis litterariis, omnes querelae de miſera ſcholarum conditione, ſiue iuſtae ſiue iniuſtae, conticeſcerent atque euaneſcerent. Optatis autem vt euentus reſpondeat, id piis forſan, quae dicuntur, deſideriis, quae multitudine ſunt infinita, erit adnumerandum. Scr. Erlangae d. XXII. Martii cIↃIↃCCLXXX.

10759799

# I.

# Vita Ioannis Georgii Styrzelii, Prolusio Rotenburgi ad Tubar. cIↃIↃCCXXXI. scripta.

*Styrzelius in Misonem.*

Doctrinam alterius, Miso, moresque venustos;
Virtutem et quoties tollere laude libet;
Illico distorques vultum; pallorque vicissim
Et rubor ore sedet, labraque turpe moves.
Indignum! quid enim facturus, forte quis ausit
Stultitiam et vitia si celebrare tua?
vid. Ablegm. Epigrammatic. Pug. III. nr. LVI.

IOANNEM GEORGIUM STYRZELIUM 1) Franconiae oris Sueuia, foecunda ingeniorum mater, auspicato indulsit. Quum enim Augustae Vindelicorum, patre 2) non genere magis vetusto, quam virtute fideque prisca, natus esset, 3) ibidemque, absoluto studiorum curriculo, praegustatis etiam aulicae vitae deliciis, causas agere coepisset, diuina factum est prouidentia, ut in hanc urbem concederet, in eaque et iucundam vitae sociam, 4) et commodam fortunarum sedem inueniret, paucisque annis per consuetos honorum gradus ad consulare fastigium adscenderet.

Quam Prouinciam, inter maximos belli, quo per triginta annos flagrabat Germania, tumultus, extrema reipublicae pericula, miſerrimisque temporibus, ſumma dexteritate, quindecies adminiſtrauit. Obiit 5) annum ſupergreſſus aetatis ſeptuageſimum ſeptimum, relictis ex poſteriori matrimonio, quod iam ſenex, necdum effoeto corpore, decem circiter ante exceſſum ſuum annis, inierat, 6) duobus liberis: 7) poſtquam ſatis gloriae ſuae, non item reipublicae, amicis, bonisque omnibus, vixiſſet: Vir tanto magis praedicandus, quanto pluribus et rarioribus virtutum ornamentis praefulgebat. Erat in eo non minor huius ciuitatis, in quam a Patribus adſcitus fuerat, quam ſoli natalis amor: prudentia vero ſingularis, cum perpetua ſuum cuique tribuendi voluntate, et magna vitae innocentia, coniuncta: oris praeterea tanta facundia, morumque tanta ſuauitas, ut feroces militum animos ſaepius verbis molliuerit, utque minori noxa per urbem tranſirent, effecerit. Iisdem virtutibus poſitae in vicino Sueuiae limite ciuitati tantum profuit, ut exteris etiam illa ſalutem ei debere viſa fuerit. 8) Nemo erat, qui eum propius noſſet, quin niueum ingenui pectoris candorem, immotamque in amicitia colenda conſtantiam, et, ſeu opera ſeu conſilio poſſet, omnibus opitulandi alacritatem, in eo agnoſceret. Nec praetereunda eſt eius

in

in amicos, eruditos praecipue, liberalitas, quos cum litterariis munuſculis, tum nummis etiam, antiquis pariter ac nouis, ſaepius donavit, omnique officiorum genere deuincire ſtuduit. Auxit hunc honoris atque virtutis ſplendorem inuſitatae ſolidaeque doctrinae fama, quam ſuo ſibi merito pepererat. Nam praeter Iurisprudentiae ſtudia, in quibus tantum profecerat, ut doctoris nomine *) honoribusque breui fuerit ornandus, niſi aliam ei vitae rationem Rotenburgum oſtendiſſet, quae ab humanitate appellantur, litteras, incredibili ardore, per omnem vitam excoluit. Audiuerat Auguſtae adoleſcens, 9) Georgium Heniſchium et Dauidem Hoeſchelium, viros graece latineque doctiſſimos, huic etiam in codicibus manuſcriptis graecis conferendis operam nauauerat, neque Georgio Moeſchio nihil debere ſe profeſſus eſt. In Ienenſem deinde Academiam, cum fratre Philippo, in quo erat ſingularis memoriae felicitas, quippe qui nouum foedus totum graece recitare memoriter potuiſſe feratur, profectus, 10) rectam veriſſimamque ſtudiorum rationem, quam ſemel ingreſſus erat, nihil immutauit. Nam quum plerique, non niſi paſtum ſpectantes, poſthabitis politioribus Muſis, in grauiorum diſci-

 plinarum

*) Remus inprimis eum hortabatur ad eam dignitatem capeſſendam, cuius vid. ep. 43. Ubi ſimul digniſſimum Styrzelium iis dicit.

plinarum ſacraria irruere imprudenter ſoleant, noſter ipſum biennium, quod Ienae exegit, Philologicis Philoſophicisque ſcholis tribuendum cenſuit, Eliae Reuſneri, Wolfgangi Heideri et Tho. Sagittarii ductum, Tho. Reineſio comite, gnauiter ſecutus. Incidente vero peſtilentia, Tubingam abiit, 11) ac praeſtantiſſimorum anteceſſorum, Chriſtophori Beſoldi, Tho. Lanſii, ceterorumque acroaſibus adſiduus interfuit. Nouiſſime Altorffium venit, 12) fama eruditiſſimorum hominum, qui tum iſtam doctrinae ſedem illuſtrabant, allectus, et Rittershuſios, Gentiles, Hofmannos, Piccartos, Virdungos, Carolos, celeberrima nomina, doctores veneratus eſt: Nicolaum vero Rittershuſium, *) Andream Dinnerum, **) Wilhelmum Ludvvellum, ***) Georgium Remum****), Georgium

*) Nicol. Rittersh. arctiſſima Styrzelio iunctum fuiſſe amicitia, patet ex epiſtola Rem. 42. p. 98.

**) Atqui Dinnerus 1606. iam Academicae functioni admotus erat. Fallitur ergo auctor Perſonalium, ex quibus haec deſumſi: vid. Zeltn. Hiſt. Crypto-Socin. p. 859.

***) Etiam de Ludwello dubitare iubet Remi epiſt. VIII. p. 18.

****) Neque Remum commilitonem Styrzelii eſſe potuiſſe adparet, quia anno 1620. iam erat ſexagenarius. p. 40. epiſt. Remi. Sed Andr. Dinnerum & G. Remum commilitones fuiſſe Styrzelii, diſerte perhibent Perſonalia Styrzeliana bey der Leichenpredigt.

gium Richterum, Io. Kobium, Martinum et Joachimum Ruaros, Samuelem a Przypkow Eq. Polon. commilitones et ſtudiorum aemulos habuit. Sic, quas naturae quodam inſtinctu amare coeperat artes, praeſtantiſſimorum auctoritate magiſtrorum confirmatus, et aequalium exemplis impulſus, arctius etiam complexus eſt, ut mirum non ſit, eum nunquam deinceps ab iis avelli potuiſſe, ne ſenatoriis quidem curis, quarum onere feſſus, ad libros ſuos recipere ſeſe ſolebat, iucunda Muſarum conſuetudine animum recreaturus: ab hac quo ſaepius negotiorum multitudine, eorumque, ut illis praeſertim temporibus, haud ſane ſuauium, auocabatur, eo moleſtiorem muneris ſibi ſui functionem apud amicos querebatur aceidere. 13) Itaque ſumma diligentia, nec minori voluptate, probatiſſima vetuſtioris aevi monumenta verſabat, procul ab eorum perſuaſione remotus, qui reipublicae luce indigna, ſcholarumque tenebris damnanda cenſent; quod plane contra ſe habere iudicabat; hominum enim minime umbraticorum, ſed maximis ſplendidiſſimisque perfunctorum honoribus, qui grauiſſima pace belloque negotia prudenter fortiterque geſſiſſent, vel certe Principibus viris familiares, omnique vitae et elegantiae cultu expoliti fuiſſent, elaborata magnis ingeniis ſcripta, lectoribus iis, qui ſint auctorum ſimiles, aptiora longe, quam

adoleſcentibus eſſe, rem ipſam declarare. Ineſcatus praecipue carminis dulcedine, in Poëtarum lectione multus erat, quos non obiter eum perluſtraſſe, ſed cum diligenti animaduerſione examinaſſe, multis, ſi opus eſſet, ſpeciminibus doceri poſſet. Quumque ita veteres admiraretur, ut neminem iis praeferendum putaret, non tamen recentioribus minus fauebat ingeniis, aut venia indignos exiſtimabat, qui dormitaſſent interdum: ſed horum etiam poëmata, quorum magnam undique vim collegerat, animi cauſſa euoluebat. Scripſit et ipſe verſus non paucos, eruditorum ſuae aetatis 14) exemplo, haud inuita ſane Minerua: etſi non eiusdem omnes omnino cenſus. Sunt in Epigrammatibus eius plura non inficeta, et lepore tanquam ſale reſperſa, neque in reliquis deſunt generibus, quae vel faſtidioſo lectori probentur: in Trochaico vero excellere amicis videbatur. 15) Quae res indicio eſſe poteſt quam defaecato fuerit animo, quem nec publicae nec priuatae moleſtiae ſic perturbare potuerunt, quo minus Muſis gratiisque litaret. A ſtudiis doctrinae ſi diſceſſeris, nihil erat quod plus honeſtae voluptatis ei adferret, quemadmodum ipſe fatebatur, quam epiſtolarum cum viris eruditis commercia; niſi tamen haec ipſa quoque in partem ſtudiorum imputari fas eſt. Iam inde ab anno aetatis viceſimo primo crebras ad amicos, quos

iam

iam tum multos habebat, easque haud illepidas, scribere litteras coepit, eumque morem ad extremam usque senectutem eo libentius seruauit, quo plures eruditi fuere viri, qui eodem officii genere, siue sua sponte, siue ab eo prouocati, colendum eum susceperunt. Numerantur in his Io. Saubertus, Io. Valentinus Andreae, Petrus Meyderlinus, Daniel Wülferus, Io. Michaël Dilherr, Io. Balthas. Schuppius, Tob. Wagnerus, Sebastianus Hornmoltus, 16) Ge. Remus, Ge. Richterus, Nic. Rittershusius, Io. Henisius, Io. Petrus Lotichius, Tho. Reinesius, Io. Tackius, Matth. Berneggerus, Io. Freinshemius, Io. Heinr. Boeclerus, Io. Phil. Harsdörferus, Sigismundus Betulius, Sam. Schallesius, Sam. Glonerus, Ge. Matth. Königius, Martinus Zeillerus, Iesaias Rumplerus, Io. Mich. Moscheroschius, Io. Ristius, Io. Weitzius, Christ. Daumius, August. Buchnerus, in cuius epistolis tres ad Styrzelium scriptae occurrunt, (vid. index.) Andr. Lucius, 17) et longum ceterorum agmen, quos nominatim citare molestum foret. Nemini enim, qui elegantioribus litteris operam dedisset, seu Theologiam, seu Iurisprudentiam, seu Medicinam, seu aliam quamcunque eruditarum artium profiteretur, aditus ad amicitiam eius intercluſus erat: commodam mirum hanc variae doctrinae augendae viam existimabat, quam plurimis diuersa sectan-

tibus ſtudia familiariter uti. Extant etiamnum tria circiter millia epiſtolarum, quas ipſe ad alios miſſitauit, nec paucae earum, quae ad ipſum exaratae fuerunt, ab illis praecipue, quos modo recitabamus. Eas omnes ſua manu Styrzelius, ut erat laboris patientiſſimus, accuratiſſime deſcripſit, ac futurae, ut coniici poteſt, editioni parauit. 18) Ex hac tanta farragine tum alia multa ſcitu non indigna, 19) tum illud etiam cognoſcere licet, Styrzelium noſtrum celeberrimis viris ſaepe conſiliarium actionum, 20) ſaepe eruditorum operum monitorem, 21) interdum et adiutorem, 22) atque, ut breuiter dicam, plane talem fuiſſe, qualem diſperſa hinc inde in hominum doctorum libris eum fuiſſe teſtimonia 23) perhibent. Ceterum quo minus epiſtolas, ſaltem ſelectiores, elogiorum 24) item ſuorum, quae binis ſingula tetraſtichis conſtant, centurias, Franconiam afflictam, et grauioris argumenti alia, quae affecta habebat, perficeret, ac in publicum emitteret, obſtitere temporum diritas, negotiorum moles, et tandem ſenectutis ingraveſcentis incommoda. Typis tamen deſcripta vidimus Ablegmina eius epigrammatica, Luſus metricos, Monoſtichorum gnomicorum Centurias IV, Pſalmos aliquot Dauidicos carmine trochaico expreſſos, Technopaegnii Auſoniani appendicem, ut ceetera minutiora taceamus. 25) Excudi prae-

praeterea curauit, Paraeneſin uotiuam pro pace Eccleſiae, ad Theologos Auguſtanae Confeſſionis, auctore Ruperto Meldenio, Theologo, 26) Tho. Segheti de contemnendis imperitorum vocibus diſſertationem, et plura fortaſſe, quae inquirentis induſtriam fugere potuerunt. Haec de Styrzelio, magno Reip. noſtrae quondam ornamento atque praeſidio, commemoranda duximus, hoc potiſſimum tempore, quo Scholaſtica res in publicarum partem curarum venire ſolet, non alium profecto in finem, quam ut poſteri ciues habeant Styrzelii quam ſimillimos, hoc eſt, bene in patriam animatos, prudentes, et litterarum, quantum ſatis eſt, gnaros. Conſueto enim per hoſce dies examine, quantum coetus ſcholaſticus in ſtudiis, quibus haec aetas impertiri ſolet, profecerit exploratum eſt, factis ſimul ordinum ad ſuperiora progreſſionibus. Supereſt, ut, recepto more, orationibus publice habendis, ſolennis iſta adoleſcentiae ſtudiorumque recognitio finiatur. Disquiret autem VIR SVMME REVERENDVS, EXCELLENTISSIMVS AC LONGE DOCTISSIMVS D. CHRISTOPHORVS LVDOVICVS HARTMANNVS, ECCLESIARVM ROTENBVRGENSIVM SVPERINTENDENS VIGILANTISSIMVS, CONSISTORIALIS ET SCHOLARCHA GRAVISSIMVS, *ſintne veterum Auctorum eorundemque Gentilium libri in Scholis ac Gymnaſiis Chriſtianorum proponendi, legendi, explicandi?* Nos *de*

*ſuperſtitione litteris inimica* diſſeremus. Denique IO. PHILIPPVS VVALTHERVS, Iuuenis ornatiſſimus, Praenobiliſſimo Io. Dauide Walthero, Senatore quondam apud nos Ampliſſimo Spectatiſſimoque, ſuperioribus annis, non ſine bonorum luctu, viuis erepto, patre natus, eius ſtirpis ſpes unica, paucis oſtendere conabitur, *quantum litterarum ſtudia conferant ei, qui aliquando ad rempublicam in partibus ſuis gubernandam acceſſurus eſt.* Is quum proauos habeat viros inſigni eruditione, prudentia, meritis illuſtres, alterum paterni generis, Georgium Chriſtophorum Waltherum, ICtum, qui huic reip. fuit a Conſiliis, alterum materni, eum nimirum, quem laudauimus, Io. Georgium Styrzelium, ut ad horum aliquando laudes adſpiret, optamus pariter, ac futurum ſperamus. Collata eſt ea Panegyris in diem craſtini, qui erit VI. Aprilis: cui ut Proceres ciuitatis ſplendidiſſimi, ceterique omnium ordinum praeſtantiſſimi Viri, ac omnes adeo Litterati, litterarumque Fautores, frequentes intereſſe velint, obſeruanter et officioſe petimus atque contendimus. P. P. Rotenburgi ad Tubarim, die V. April. CIↃ IↃCC XXXI.

## ADDITAMENTA ET NOTAE.

1) Iam dudum mihi animus erat, viris eruditis, qui Rotenburgi aut nati eſſent, aut vixiſſent, & libris editis aliquod nomen

men adepti essent, eam praestare pietatem, ut, si occasio tulisset, et monumenta supperent, eorum renouarem memoriam. Cuius rei specimen hoc ipso Viri Generosi et Magnifici, IOH. GEORGII STYRZELII, Consulis olim apud nos Amplissimi, elogio damus: qua opera lubens supersedissem, si Io. Henricus Boeclerus, Vir Cl. qui, ut ex aliquot ipsius et Iesc. Rumpleri epistolis adparet, elogia virorum illustrium, quos coluit, et quibuscum ipsi amicitia intercessit, scripturus, et in iis quoque Styrzelii nomen repositurus erat, destinata perfeciisset. Ceterum D. Io. Ludouicus Hartmannus, vir immortalium, cum in Rotenburgensem, tum in uniuersam Ecclesiam meritorum, luculenta oratione nostro parentauit, quae et edita est Rotenb. 1668. 4. pl. 4. Freherus quoque in Theatro Virorum erudit. eum comparere iussit, sed sceleti potius, quam hominis persona. Vir Summe Reu. D. Christoph. Aug. Heumannus, in amoenissimae Poeciles Tom. II. p. 410, de epistolis eius ad Boeclerum scriptis mentione facta, ex quibus et p. 414, seq. quaedam excerpta adfert, virum fuisse doctissimum iudicat, sed vulgo ignotum.

2) Io. Styrzelio, ICto, Reipublicae Augustanae Syndico, quem Rathschreiber adpellant, matre Margaretha, ex honestissima Wertingensium Schenckiorum familia. Aliquoties huius Ioh. Styrzelii mentio fit in libello

libello cui titulus: 'Kurzer Extract aus einer geschriebenen Cronic, darinnen summarisch erzehlet wird, wann ꝛc. Paulus Jenisch zu einem Kirchenpfleger erwehlt sey ꝛc. und was sich bis auf sein Abschaffung, und bald hernach, sonderlich von wegen seines publicirten Seelenschatzes mit ihme und andern daselbsten begeben und zugetragen habe, in 8. pl. 19. sine die et Consule et loco vide p. 7. 103. 111. 118. 174. 247. Ceterum iam pluribus abhinc saeculis Styrzelios floruisse, ac nouissime a CAROLO V. Imperatore dignitatem equestrem, Iohannis Patri, Io. Ge. Auo, non tam recens collatam, quam antiquum gentis splendorem diplomate fuisse renouatum, a fide dignis auctoribus accepimus. Vid. Epicedium Iohanni Philippo Styrzelio, Io. Ge. filio scriptum a Viro iuris et historiarum peritissimo et humanissimo, Io. Adamo Erhardo, tum Syndico Reip. nostrae bene merentissimo, quem mihi musisque meis, quod etiamnum moereo, ante diem mors abstulit.

3) A. R. S. MDXCI, d. XII. April.

4) Margaretham, uxorem antea Martini Myleggii, Senatus numerosioris Assessoris. Nuptias celebrauit MDCXXIV, d. XVI. Febr. aç triginta annis sine querela, sed et sine prole, cum ea vixit,

5) A. R. S. MDCLXVIII, d. XVII. April.

6) Cum virgine ornatissima Barbara, filia Io. Heinr. Risii, Theologi et Poëtae haud ince-

incelebris; Eccleſiarum Hazfeldicarum Antiſtitis, A. C. MDCLVIII. d. VI Dec.

7) Iohanne Philippo, poſtea Senatore huius Reip. ampliſſimo; ſed is quidem iam MDCCIV improlis deceſſit: et Anna Eliſabetha, quae nupſit Viro Generoſo et Excellentiſſimo, Io. Balth. de Staud, ICto, Conſiliario Reip. praeclariſſime merito, iam inde ab aliquot annis vidua, Matrona omnibus ſexus ſui decoribus cumulatiſſima.

8) Heniſius Cent. I. Epiſt. LXXIX. *Virtuti tuae Rotenburgum debet quod habet: qui prudentia et eloquentia Aiacem in terrorem, et Hectorem in fauorem deduxiſti. Zeapolitani certe ſuada tua ſaluati fuere.*

9) Patrem mature amiſit: neque tamen eius morte in libertatem ſe vindicatum putabat, aut quicquid ſibi videretur faciendi uſurpabat licentiam: ſed cum matris diſciplina, tum praeceptorum ſalutaribus monitis atque conſiliis, ſe ſtudiaque ſua regi patiebatur. cuius rei, quam egregium tulerit fructum, ſatis adparet.

10) A. MDCIX.

11) A. MDCXI.

12) A. MDCXIII.

13) In Epiſtola quadam ad Martinum Zeillerum, quae eſt XVI Centuriae XIII. *Meae curiae*, inquit, *curae magis indies magisque atterunt, quibus cum minae continuae, et hinc pericula domi forisque accedant, facile iudicabis, quam ſuauiter agam, praeſertim*

*sertim etiam cum librorum & literarum meliorum tractationi (unicis meis delitiis) toties mihi interdicatur tantum non penitus, quod ipsum prouinciam meam mihi reddit multo duriorem et molestiorem.* Similia plura in aliis epistolis occurrunt.

14) Magno studio istis temporibus cultam fuisse poësin, latina inprimis lingua, quanquam nec defuerint, qui vernaculam etiam nostram, Opitium inprimis aemulati, versibus expolire inciperent, et aliunde satis constat, et epistolae Styrzelianae docere possunt. Satis fuerit unicum eius rei adtulisse testimonium ex Centuriae XIV. ep. X, ad Io. Valent. Andreae 1646 scripta. *Non diu est, cum Musis et Poëtis tota vestra scatere visa est Würtembergia, quin ipsa Sylva Hercynia nil fere adparuit, nisi Lauretum, tot undique, qui opibus suis Parnassi locupletare laborarunt aerarium, prodierunt laurigeri.* Caussam istius Paroxysmi, ut sic dicam, poëtici, qui etiam valde mediocria agitabat ingenia, si quis Lauream, siue Poëtae laureati titulum, quem tum ambire mos erat, saltem in plurimis, fuisse coniecerit, parum forsan errabit. Noster vero adeo non adfectabat eum honorem, ut ab Henisio sponte oblatum recusarit, quumque expugnatus tandem eum admisisset, celarit tamen amicos, nisi Henisius ipse rem diuulgasset, aeternum celaturus: neque unquam, quod sciam, in

iis,

lis, quae edidit, ſacras illas litteras P. L. C. nomini ſuo adſcripſit. Non poſſum, quin ex Heniſianarum epiſtolarum Centuria prima, ep. XXXIX, ad Styrzelium data, a. 1627, quaedam huc adponam. Sic autem ille. *Pauci in agro Würtembergico paſtores eccleſiarum ſunt, qui non laurea poëtica ludos faciant, et plures in Würtembergia, et Craichgoia inprimis, laurigeri, quam in Bavaria aeditimi. Lauri ſacra fames, quid non ſtultiſſima cogis pectora! Sed hisce quid hic immoror? et poſt Taubmanni dolorem naenias? Redeo ad te, ſi pateris, et ad ſuperbam iſtam et inſolentem frontem tuam, quae lauream meam ſupercilio altiſſimo deiecit. Eſto ſane, minor ſim iſto Poëtifico ſene, carior tamen tibi debebat eſſe mea laurus, quia rarior, praeſertim Gruteri teſtimonio ſuffulta, et autoritate. ſubnixa magni iſtius Atlantis litterarum.* Hactenus Heniſius. Senex Poëtifex eſt, niſi fallor, Sebaſt. Hornmoltus, de quo paullo poſt.

15) Heniſius Cen. I. ep. 39. *Styrzelius meus Trochaei modimperator perfectiſſimus. Non adulor te, hac praeſertim facie adhuc rugoſa* (expoſtulauerat Styrzelius cum Heniſio de diuturno ſilentio, quod ad plures epiſtolas nihil reſponſi accepiſſet) *ſed etiam hoſti virtutis teſtimonium publice do et dabo. Monoſticha magis rotunda, magis ſuculenta, et magis acuta, me vidiſſe aut viſu-*

*viſurum nunquam: Vsque adeo Trochaicum illud genus tuum feciſti, ut te per Muſas, per bonas litteras, adiurem, ne quid imposterum dicas aut ſcribas, extra illud genus carminis, quo Grutero Palmam ambiguam facere, et Codomanno praeripere velle minaris.* Neque aliter iudicauit

16) Sebaſtianus Hornmoltus, ep. XI. Fuit hic inter foecundiſſima ſuperioris ſaeculi ingenia. Fudit enim, ſi ipſi affirmanti fides eſt, immenſam vim verſuum. Libros omnes V. et N.T. heroicis, numero 143312, tum Pſalterium *) et quatuor Euangelia; item Brentii Catecheſin, **) puris iambis expreſſit. Faſtorum ſacrorum libros XII elegiaco; Ruſticationum libros XII; de Expeditione in Palaeſtinam, duce Bullionaeo libros VI; heroico carmine: et praeterea infinita alia, librorum enim titulos plus centum ipſe enumerat, partim vorſa, partim proſa oratione ſcripſit, ex quibus quaedam edita ſunt. Librorum a ſe perlecta ait XV millia. Laurea Poëtica longe plurimos, amicis conquiſitoribus uſus, ornare, et ex ea re quaeſtum facere, ſtuduit. Vnde natum eſt Lauretum Hornmoldianum, i. e. Programmata et

*) Editum eſt Tubingae, 1596. 8. idem Horn. etiam Avenarii Precationes puris iambis ſine eliſione expreſſit, excuſas Tubingae, 1596. 8.

**) Habetur in Hornmoldi Enchiridio pietatis 1626 in 12. Rotenb. ad Tub. excuſo; vix octo pagellas implet.

et intimationes Poëtarum lauru incingendorum, libris IV.

17) Andream Lucium, iuuenem paucis forte cognitum, propterea inter tot celebria nomina referendum existimaui, quod et Styrzelio eximie carus, et longe maiori, quam pro aetate, doctrina fuit, adeoque in praecocibus eruditis merito suo locum inuenit. Patrem habuit ludimoderatorem Geislingensem, a quo in Gymnasium Vlmanum missus, breui tantum profecit, ut anno aetatis undeuigesimo ab Henisio, qui fauebat praestantissimo ingenio, sponte sua laurea poetica donaretur, atque eas ad Styrzelium scriberet litteras, ex quibus facile coniici possit, quantus futurus fuisset, si diuturniorem lucis usuram ei Deus dedisset. Decessit enim homo tenui valetudine, ac studiorum contentione, et labore molesto, quem paupertate premente, ut victum lucraretur, subire cogebatur, dudum fractus, Argentinae, quo studiorum caussa concesserat M DC XXXIV, annum agens XXV, cum paullo ante memorabile Epitaphium ipse sibi scripsisset. Multa praeclara minatus, linguam inprimis germanicam, quam a multis, qui ei medicinam tum temporis adferre studebant, etiam magis corrumpi aegre ferebat, rectioribus consiliis emendare aggressus erat. De hoc Io. Henisius, Epist. ad Styrzel. Cent. I, 43, a. 1628. *Non credas, quantam de optimo iuuene spem conceperim;*

*perim; in omni carminis genere exercitatissimus est, inprimis autem in Graeco: Mercurialis totus est, omnium instrumentorum musicorum, picturae, sculpturae, caelaturae, typotheticae,* (calligraphiae, nempe) *plasticae callentissimus, et, quod mirari subit,* αὐτοδίδακτος. An praeter pauca, quae vidi, carmina, quidquam ediderit, non habeo dicere: MSSta ad Matth. Berneggerum peruenere, qui cum I. H. Bocclero, et Sam. Glonero, miro studio politissimum iuuenem complexus est.

18) Asseruat has in scriniis suis Vir Generosus, Iohannes Daniel de Staud, Senator apud nos amplissimus, Io. Ge. Styrzelii ex filia, quam no. 7. laudauimus, nepos, qui eas humaniter et beneuole mecum communicauit, quo me nomine plurimum ei debere grate pieque profiteor.

19) Constitueram quaedam speciminis caussa huc transscribere: sed spatii prohibeor angustia. Dabuntur ea forsan alias, ε. ο. κ. ϑ.

20) Sic Boeclero iter in Sueciam, quanquam frustra, vehementer dissuasit; Henisium, ne Vlma Rintelium ad munus Professoris medicinae capessendum discederet, quod facere decreuerat, permouit; Moscheroschium, ne calamum nimis ad Satyras, quas Philandri von Sittewald nomine edidit, acueret, aut suo sibi iumento malum

lum

lum arceſſeret, grauiter monuit. Iuniori-
bus quibusdam ſtudiorum rationem prae-
ſcripſit, nec turpe ſibi duxit fateri, in qui-
bus ipſe, nulla quidem ſua culpa, peccaſ-
ſet. Duo ſunt autem praecipue, quantum
memini; alterum, quod nec Encyclopae-
diae, ſeu orbis diſciplinarum, Sciagraphiam
quandam animo ſatis mature complexus,
neque de commoda diſcendi methodo ſoli-
citus fuiſſet, dolebatque, ſibi adoleſcenti
librum eiusmodi, qualis eſt Io. Seybothii
Paedia, non innotuiſſe: alterum, quod
inter initia ſtudii iuridici in commentarios
vaſtiſſimos incidiſſet, et iis legendis vires
attriuiſſet, quae ad elementa ſcientiae le-
gitimae recte et ordine imbibenda, pru-
dentius fuiſſent collatae. In quorum iſto
plurimi hodieque delinquere ſolent, in hoc
non item.

21) Martinum Zeillerum ad Epiſtolas continuandas hortatus eſt, qui et Cent. III. in den Anmerkungen, p. 716. coll. indice, Styrzelii quaedam verba huc ſpectantia adfert. Io. Petrum Lotichium ad hiſtoriam perficiendam; Ieſai. Rumplerum ad opus de lingua germanica maturandum; Iohannem Matth. Schneuberum ad Phaedrum illuſtrandum; alios ad alia excitauit. Sed duo quidem poſteriores coepta non abſoluerunt.

22) Ad Gazophylacium, quod Ge. Matth. Könige edidit, adornandum,

plurimum contuliſſe Styrzelium, ipſe Königius in praefatione, et in ſerie auctorum praemiſſa, locuples teſtis eſt. Cum Schalleſio etiam quaedam a ſe ad Dictyn Cretenſem annotata communicauit. it. cum Zeillero.

33) Io. Freinshemius, in Indice Curtiano, voce Curtius, ubi, quae Styrzelius de eo ſcriptore iudicia ipſi ſuggeſſerat, adponit, *eruditionis et humanitatis eximiae virum* vocat. Io. Mich. Moſcheroſchio, in den wunderlichen und warhaftigen Geſichten, P. I. p. 42. eſt *Vir prudentiſſimus, meritiſſimaeque ad omnem poſteritatem famae.* Schuppius nominat eum, ornamentum ſeculi et reip. ſuae. p. 689. Opuſc. ed. Hanouienſis 1669 in epiſtola ad G. P. Rieſen. Io. etiam Riſtius, in ſcriptis ſuis paſſim ſe Styrzelium meritis laudibus ornaſſe, ipſe in epiſtola quadam profitetur. Daumius Catonis diſticha; Boeclerus Characteres Velleianos ei dedicauit. Quae Boeclerus, Lotichius, Daumius, Schneuberus, in Epiſtolis, quibus ei libros a ſe editos dedicarunt, de eo habent, omittimus, quod neque ad manus iam ſunt, et decori potius ſtudio, quam iudicio dicta videri quibusdam queant.

24) Debere ſe hoc putabat honori et amicitiae eruditorum, qui iſta aetate florebant, ut quatuor diſtichis, quorum bina quaeque ſententiam perfectam abſoluebant, vir-

virtutes et merita illorum celebraret. Eorum sparsim quaedam edita in aliorum libris habentur: tum et integram centuriam typis exscriptam esse suspicor. Ea, quibus Reu. Ministerium Euangelicum Augustanum ornauit, prodiere Augustae, 1652. in 4to, pl. 1½.

25) Titulos pleniores ne quis desideret, adscribendos putaui. *Io. Georgi Styrzelii, Lusus metrici. Nihil, Omnia, Aliquid, Multa, Parum, cum appendicula gemina, priore Psalmodiae Dauidicae, posteriore Monostichologiae gnomicae, utriusque Trochaicae, specimine. Nordlingae,* 1652. *in* 4to, *pl.* 8½.

*Monostichorum Trochaicorum centuria alia noua. Nordlingae* 1653. *in* 4to, *pl.* 1½.

*Ablegmina Epigrammatica. Augustae Vindel.* 1652. *Subiunguntur Carmen de Monosyllabis Ausonio in Technopaegnio neglectis, item Centuria gnomica monostichorum Trochaicorum miscellorum, in* 4to, *pl.* 7½.

*Ablegminum Epigrammaticorum Pugillus. Nerolingae* 1655. *pl.* 2. *Pugillus alter. Ibid.* 1656. *pl.* 3. *Pugillus tertius; ibid.* 1657. *pl.* 4. *Pugillus quartus, ibid.* 1658. *pl.* 3.

Paraeneſis *) votiua nec loci, nec typographi, neque anni habet notam: ſed excuſa eſt hic Rotenburgi, Anno 1626. in 4to. pl. 8. Rupertus Meldenius litteris transpoſitis eſt Petrus Meuderlinus, Theologus Auguſtanus, qui, ut legenti patere poteſt, controuerſiis, quae tum magnis animorum motibus agitabantur, de praeſentia inprimis Chriſti, et de libris Arndianis, permotus, ad ſcribendum acceſſit. Grauiter autem, & interdum acerbiore ſtilo, monet Theologos, ut hypocriſin, ambitionem et contentiones parum profuturas vitent, et vitae ſanctius agendae, ac pietatis propagandae maiorem curam gerant. Exempla ſcripti propemodum omnia, quingenta fuerunt impreſſa, Bibliopola aliquis Norimbergenſis coemit, celeriterque vendidit: Vnum Styrzelius Vlmam ad Heniſium curauerat, quod quum hic Conrado Dieterico perluſtrandum conceſſiſſet, is inconſulto Heniſio Tubingam illud ad Thummium miſit, qui cum ceteris Theologis aegerrime moleſtiſſimeque ferebat libelli editionem, quod magnae ipſorum in iſtis certaminibus partes erant. Itaque, ut aboleretur, ab Ampliſſimo huius Reip. Senatu petebant: Sed reſponſum tulere, eum a Theologis noſtratibus non improbari, qui

*) Paraenefin votiu. D. Pfeifferus, Theol. Lipſ. cum aliis recudi curauit. 1736. in 8. ſed neſciebat, quis eſſet Meldenius.

qui et ipsi pacem ecclesiae omnibus votis expeterent. Auctori Meuderlino, qui primum, metu et inconstantia quadam, Parnaesin e foetura sua esse negabat, graues ob eam suscipiendae fuere inimicitiae, quae tamen nihil, nisi fallor, fortunis ejus nocuerunt. Est et libellus excusus Augustae Vindel. 1665. in 4to, pl. 4. qui hunc praefert titulum: *Quinque eximia, et quantiuis pretii poemata, etc. ex Museo Ioh. Georgii Styrzelii, qui et singulis admonitiunculas subiecit.* Sunt autem ista: Ludou. Castel-vitrei Pictura. Cunr. Rittershusii Spongia, eiusd. Fama de Pestilentia Altorfina, Simonis Simonidae Imagines Diaetae Zamoscianae, Andreae Lucii Charta. Est hic idem ille Andr. Lucius, cuius supra mentionem fecimus. De Tho. Segheti dissertatione, a Styrzelio in lucem reducta, aliorum sequor auctoritatem, neque enim ego eius exemplum typis descriptum vidi: Ceterum calamo descripserat noster anno 1615. in Academia Altorfina, eiusdem Segheti *), natione **) Britanni, Μελετήματα ποιητικα, Hanouiae 1607. edita, quum nullum amplius exemplum de trecentis excusis prostaret, ex eo, quod ipse auctor

 cum

*) Ab ipsa prima adolescentia vel discipulus vel auditor Lipsii, acri et excellen i ingenio, discendi cupidissimus. Anno 1597. versabatur Patavii, vid Lipsii ad eum Epistola Cent. III. ep. 63. et testimonium ei subiectum.

**) Scotum vocat Lipsius gente et domo.

cum illo communicauerat: quod et in aliis rarioribus opuſculis facere non grauatus eſt. His in fine ſubiicitur iſta de contemnendis imperitorum vocibus Diatribe, eaque breuiſſima, quae vix quinque paginas MSti, quod eſt in 8uo, occupet.

## II.

## De Citharoedis.

Haud poſtremum illorum, qui in vetuſtis ſcriptoribus enarrandis occupantur, quos Grammaticos et Philologos dixere antiquitus, munus eſſe conſtat, veras verborum ſignificationes ex probatiſſimis auctoribus eruere, dubias confirmare, ſuſpectas vindicare, a florentis denique aeui uſu abhorrentes obelo configere. Licet enim minuta multis, neque admodum fructuoſa videatur opera illa, ut etiam, animi quadam intemperantia, conuiciis proſcindere hos, qui illam reipublicae litterariae praeſtant, nihil dubitent: adeo tamen eſt neceſſaria, ut, ea neglecta, neque linguarum, quibus carere nec diuinae nec humanae litterae poſſunt, barbara corruptio, ac foeda tandem obliuio euitari; nec priſci monumenta ſaeculi recte intelligi; neque etiam, quod aetatem ferat, ab noſtri temporis

poris hominibus, quantumuis cetera doctrina excultis, in lucem proferri queat. Immortales eam ob rem gratias promeruere eruditi homines, qui nulla gloriae vel lucri spe illecti, sed siue discendi ardore, generosis mentibus insito, siue bene de posteris merendi studio, ducti, optimis quibusque graecis latinisque scriptoribus diligenter excussis, vocum singularum vim ac potestatem in commentarios referendam susceperunt, ac magno ea re bonarum artium studiosos labore leuarunt. Sed in tam vasto opere fieri non poterat, quin plura industriam eorum effugerent, aut perperam ponerentur, aut veterum testimoniis non satis munirentur: quod ingentibus illorum meritis, apud aequos peritosque rerum existimatores, officere nullo modo potest. Multa est apud veteres *citharoedorum*, nonnulla etiam *auloedorum* mentio: qui tamen sit proprie citharoedus auloedusue explicare traditum, aut priscorum suffragiis fultum haud saepe deprehendas. Credo, quod viris eruditis, qui exemplaria graeca latinaque nocturna diurnaque versarant manu, ea vox familiariter esset cognita, neque interpretatione admodum opus habere videretur. Est vero vel eam ob caussam diligentius explicanda, quod in ipso Nouo Foedere, in Apocalypsi Iohannis Theologi, cap. XIV, v. 2. et cap. XVIII. v. 22. occurrit; ne iam dicam multa veterum auctorum

ctorum loca iis obſcura eſſe oportere, qui propriam natiuamque eius ſignificationem ignorant. Hanc igitur, pro ea copia, quae mihi eſt, plerisque humanioris litteraturae praeſidiis deſtituto, hac ſcriptione declarandam ſumſi, facilemque ſpero veniam, ſi forte aut ab aliis dicta repetere, aut illuſtriora teſtimonia adferre potuiſſe videar. *Citharoedus* itaque eſt, qui ſcite atque ex artis legibus, non tantum citharae, tritiſſimi olim inſtrumenti muſici, neruos, ſeu plectro ſeu digitis, percutere; ſed et eodem tempore ad fidium ſonum carmen aliquod cantare doctus eſt. Ac fides tractare citharoedum nemo dubitat: ſed qui hac ſola re artem eius contineri arbitrantur, ea eum parte priuant, qua vel maxime cenſebatur, et aliter quam antiqui id nomen capiunt. Ex pluribus locis paucos adferamus, ut conficiatur id, quod poſuimus. HOMERVS *Il.* Σ. *v.* 569. *ſeq.* ubi in clypeo Achillis fabricando verſatur, ita canit: Τοῖσιν δ' ἐν μέσσοισι παῖς φόρμιγγι λιγείῃ Ἱμερόεν κιθάριζε, λίνον δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδε Λεπταλέῃ φωνῇ, id eſt, *Inque horum medio puer cithara arguta ſuauiter perſonabat, Linumque pulchrum ſuccinebat ſubmiſſa voce.* Iam Φόρμιγγα idem eſſe, quod citharam, EVSTATHIVS teſtatur ad hunc verſum, *p.* 1222. *edit. Baſil.* Λίνος et viri nomen eſt, et carminis lugubris, quo triſte fatum Lini deplorabatur, quod ex Pauſaniae loco ſtatim indi-

indicando, et eodem EVSTATHIO *p.* 1222. *seq.* Scholiis item minoribus, quae DIDYMO vulgo tribui solent, colligi potest: quanquam hi posteriores alias etiam interpretationes adferunt, parum certe commodas. En igitur puerum pulsantem citharam, et simul carmen canentem, hunc autem puerum PAVSANIAS *in Boeotic. p.* 304. *edit. Wechel.* 1583. hos ipsos HOMERI versus recitans, κιθαρῳδὸν appellat. Idem *in Phocicis p.* 322. haec habet: Λέγεται δὲ καὶ Ἡσίοδον ἀπελαυθῆναι τοῦ ἀγωνίσματος, ἅτε οὐ κιθαρίζειν ἅμα τῇ ᾠδῇ δεδιδαγμένον, *Hesiodum tradunt repulsam tulisse, quod non didicisset una cum cantu citharam pulsare.* Erat autem, ut ex iis, quae paucis interiectis adduntur, manifestum est, κιθαρῳδίας τὸ ἀγώνισμα, *citharoedicum certamen*, quod inter antiquissima fuit. Est in rem nostram locus STRABONIS *Lib. IX. Geogr. p.* 290, *edit. Casaub.* Ἀγὼν δὲ ὁ μὲν ἀρχαῖος ἐν Δελφοῖς κιθαρῳδῶν ἐγενήθη, παίανα ᾀδόντων εἰς τὸν θεόν. Nec praetermittenda sunt, quae PLVTARCHVS habet, *Sympos. Lib. VII. qu.* 8. *p.* 564. *edit. gr.* XYLANDR. *Basil. in fol.* 1574. ubi ait, rogandos esse citharoedos, ut flebiles illos et gemebundos locos, crebro occurrentes, e carminibus eximant, et quae sint boni ominis, atque accommodata genio indulgentibus cantent. Αλλ' ηγε κιθάρα παλαι τις καὶ καθ' Ὅμηρον ἔτι τοῖς χρόνοις γνωρίμη τῆς δαιτὸς ἑταῖρα, καὶ μαχαὶν ὕπως φιλίαν καὶ συνήθειαν ἀ

πρέπει

πρέπει διαλύειν. αλλὰ δεῖσθαι τῶν κιθαρῳδῶν μονον, ὅπως τὸν πολύρθρηνον καὶ γόον ἐξαίρωσι τῶν ᾠδῶν, ἔυφημα καὶ πρέποντα θαλιάζουσιν ἀνθρώποις ᾄδοντες, SVETONIVS quoque idoneus nobis auctor eſt. Is ubi Muſicae ſtudio vehementer ac praeter dignitatem deditum fuiſſe Neronem, ac in ſcenam etiam prodeuntem, cantare ſolitum tradit, illud quoque narrat, flagitantibus cunctis coeleſtem vocem, ſic enim appellari volebat ſuam, quanquam exiguam et fuſcam, ſine mora nomen ſuum in albo profitentium citharoedorum iuſſiſſe adſcribi, eoque ordine, quem ſors ipſi tribuerat, intraſſe in theatrum, citharam ſuſtinentibus praefectis praetorii, ac Nioben cantaſſe. Ecce! Nero citharoedus voce ſimul et cithara canit Nioben. Paullo ante dixerat Suetonius, Neronem citharoedo tunc praeter alios vigenti, Terpno, operam dediſſe, neque eorum quidquam omiſiſſe, quae eius generis artifices vel conſervandae vel augendae vocis cauſſa factitarent. *vid. c. XX et XXI Ner.* Neque minus ex iis, quae ab EVSTATHIO *ad Il. B. v. 599, p.* 226, adferuntur, diſci poteſt Citharoedos fuiſſe προσεκτικὲς τῇ φωνασκίᾳ. quid autem vocis cura ipſis opus erat, niſi citharae accinebant? Quid quod inter ceteras citharae leges, ut TACITVS loquitur *Ann. XVI, c.* 4. id eſt, eorum, qui citharoedicum certamen inibant, et haec erat, ne ulla oris excrementa viſc-

viſerentur; cui et ita obediiſſe Neronem prodidit SVETONIVS *c.* 24. ut nunquam exſcreare auſus fuerit. Quod facile ſane caueri potuit, neque eam in rem lege opus erat, ſi non niſi fidibus canebant citharoedi. Simul autem voce canentibus omnino difficile eſſe debuit, praeſertim certamine paullo diutius protracto. Illud etiam huc pertinet, quod MARTIALIS docet *Lib. XI, ep. 76, et Lib. XIV, ep.* 115, fibula uſos fuiſſe citharoedos. Ea autem vocis, quam Venus infuſcat, conſeruandae cauſſa geſtari ſolebat. Eſt porro apud APVLEIVM *Lib. II, Florid. p.* 312, *edit. Raphaleng. in* 12, 1612, deſcriptio ſtatuae citharoedi, in qua haec occurrunt: *dextra pſallentis geſtu pulſitabulum citharae admouet, ceu parata percutere. — interim canticum videtur ore tereti, ſemihiantibus in conatu labellis, eliquare.* Neque abludunt, quae apud PHILOSTRATVM leguntur, in *Icone Amphionis* (qui teſte HERACLIDE apud PLVTARCHVM *de Muſica*, *p.* 436, κιθαρῳδίαν excogitauit, vel, ut PLINIVS ait *H. N. Lib. VII, c.* 56, primus cithara cum cantu ceciniſſe dicitur) παραδαίνει των ὀδόντων ὅσον ἀπόχρη τῷ ᾄδοντι. Quinimmo cantare tam proprium munus erat huius generis Muſicorum, ut ipſa ars illorum nomine ἀοιδὴς, id eſt, cantus, HOMERO veniat, EVSTATHIO interprete ad *Il. B. v.* 600, *p.* 226, τὸ δὲ ἐκλελαθον κιθαριξὼν, ερεξιμηνευτικὸν ἐστι τῦ, ἀοιδὴν ἀφειλοντο.

τουτον

ταυτὸν γὰρ ἀοιδῆς ἀφαίρεσις, καὶ λάθη κιθαρῳδοῦ, ἤτοι τῆς κιθαρῳδικῆς τέχνης. Et Arion, qui citharoedus eſt HERODOTO, cantator fidibus GELLIO, ab OPPIANO *Halieut. Lib. V, v.* 448, dicitur λέσβιος ἀ ιδὸ. A citharoedis diuerſi erant *citharistae*, quod nullo negotio oſtendi poteſt. AESCHINES in *Timarchum p.* 176, *edit. Wolf. Baſil.* 1572, Miſgolam quendam reprehendit, quod ſemper ſecum habere ſoleret aliquos aut citharoedos aut citharistas, ἀεί τινας ἔχειν εἰωθὼς περὶ αὐτὸν κιθαρῳδοὺς ἢ κιθαριστάς. Narrat AELIANVS *Lib. IV, c.* 2, *V. H.* Nicoſtratum citharistam Laodoco citharoedo inter iurgia dixiſſe, illum in magna arte exiguum, ſe vero in exigua magnum eſſe. Scilicet maior eſt ars citharoedi, quia non ſolum alios neruos dextra percutiebat, alios laeua trahebat et continebat, quod commune ei cum citharista erat; ſed etiam ſimul et memoriae, et ſono vocis, et pluribus flexibus ſeruire eum oportebat, ut QVINTILIANI verbis utar. STRABO, loco paullo ante citato, quum dixiſſet, certamen antiquitus apud Delphos citharoedorum fuiſſe, ſtatim haecce ſubiungit: Ἀμφικτύονες — προσέθηκαν — τοῖς κιθαρῳδοῖς αὐλητὰς τε καὶ κιθαριστὰς χωρὶς ᾠδῆς, quod PAVSANIAS *in Phocicis p.* 323, ſic effert: προσενομοθέτησαν κιθαριστὰς τοὺς ἐπὶ τῶν κρουμάτων τῶν ἀψῴνων, hoc eſt, qui citharas pulſarent ſine cantu, aut humanae vocis acceſſione. Et diſerte AMMONIVS περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων.

ἀξίωσιν, κιθαριστὴς μέν ἐστιν ὁ μόνον ψάλλων, κιθαρῳδὸς δὲ ὁ ᾄδων καὶ ψάλλων. ubi et AESCHINIS verba modo allata laudantur. Citharistam tamen pro citharoedo interdum dici, eadem scilicet figura, qua hic ἀοιδὸς OPPIANO, ab altera artis suae parte, appellatur, deprehendas v. g. apud PLATONEM *de Legibus Lib. VI, p.* 812, *edit. Serr.* et HIERONYMVM *in Chron. Euseb. ad ann. MMLXXX, p.* 161, *edit. Scalig.* Haud satis scio, sintne citharistae iidem illi ψιλοὶ κιθαρισταὶ, quorum POLLVX mentionem facit *L. IV, c.* 9, *nr.* 4, *p.* 188, *edit. Seber.* vel Psilocitharistae ATHENAEI, quem in hac veterum auctorum inopia, consulere non possum, item SVETONII *in Domit. c. IV.* Psallocitharistas enim, quam lectionem antiquae editiones praeferunt, recte, opinor, TVRNEBVS exterminauit. Neque enim opus est psallendi verbum cum citharista componere, cum hic iam per se intelligatur ψάλλων τὴν κιθάραν vel κιθαρίν potius, ut AMMONIVS vult. Apud PLATONEM certe *L. II, de Leg. p.* 669, ψιλὴν κιθαρίσιν καὶ ἄνλησιν esse cui carmen non accinitur, perspicue palam est, quemadmodum apud PLVTARCHVM *Sympos. VII, qu.* 8, *p.* 707, ψιλῷ μέλει, (sic enim sine dubio legendum pro μέλει, quod habent XYLANDRI et HENR. STEPHANI editiones,) διαγωνίζεσθαι, est nudo tibiae sono, sine cantu certare, quod orationis series in utroque auctore clarissime demonstrat, ut

mirum

mirum ſit in SVETONIO *Schildiano*, *p.* 785, *nota* 6, *edit. IV*, haec legi, ψιλὴ κιθάρισις, *cui adiungitur vocis melodia, ut in II* PLATONIS *de legibus*, niſi forte typothetae errore vocula *non* poſt *cui* exciderit. Neque tamen facile dixerim ψιλὰς κιθαρισάς omnino paria facere cum citharistis: videntur omnino ſingulare μέλος eſſe ſecuti, in quo rhythmus et cetera eſſent exiliora. ψιλὴ adpellatur etiam προσῳδία, id eſt, ἡ πρὸς κιθάραν ᾠδή, ἡ ἐτ' ἄκρων χειλέων λεγομένη, ut AMMONIVS tradit in ψάλλειν. quae res tamen nihil ad Pſilocitharistas attinere videtur. Iam *aulocdum* etiam eſſe non qui tibiam inflat, ſed qui tibiae carmen accinit, locuples teſtis eſt PAVSANIAS *in Phocicis*, *p.* 322, ubi narrat Amphictyones certaminibus citharoedicis adieciſſe καὶ αὐλῳδίας ἀγώνισμα καὶ αὐλῶν, id eſt, *cantus ad tibiam* et *tibiarum per ſe*, ſubiicitque: ἀνηγορεύθησαν δὲ νικῶντες — αὐλῳδὸς Ἀχαιὰς Ἐχέμβροτος, Σακαδᾶς δὲ Ἀργεῖος ἐπὶ τοῖς αὐλοῖς. deſcribit deinde αὐλῳδίαν his verbis: ἡ γὰρ αὐλῳδία μελέτη τε ἦν αὐλῶν τὰ σκυθρωπότατα, καὶ ἐλεγεῖα καὶ θρῆνοι προσᾴδόμενα τοῖς αὐλοῖς. Sic intelligitur quid ſibi velit PLINIVS quum *L. VII, H. N. c.* 56, ait: *Cum tibiis canere voce Troezenius Dardanus inſtituit.* item HYGINVS *Fab. CCLXXIII, p.* 198, *edit. Scheffer. Vicit Olympus Marſyae diſcipulus tibiis, — Eumolpus, Neptuni filius, ad Olympi tibias voce.* Haec pro inſtituti ratione

tione ſufficiant, quanquam quae diximus pluribus veterum teſtimoniis firmari, vel etiam fuſiore quadam ration eexplicari poſſent, ſi vel uſus id poſtularet, vel anguſti, quibus circumſcribimur, fines permitterent. Sed nunc illud agendum eſt, cuius cauſſa haec proluſimus. Terminus nimirum luſtrationis Gymnaſii noſtri vernae Orationibus aliquot habendis ſolenniter dedicandus eſt. Ac VIR quidem SVMME REVERENDVS CHRISTOPHORVS LVDOVICVS HARTMANNVS, TH. D. ECCLESIARVM ROTENBVRGICARVM ANTISTES, ſepoſitis in praeſentiarum ſtudiis humanitatis, *Eccleſiam Waldenſium ante Lutherum Lutheranam orthodoxamque* exhibebit. Nos *Singularia Saeculi XVIII* breuiter perſtringemus. Poſtremo IO. GEORGIVS RÜHEL *de diuina verae religionis inter calamitates propagatione* pro captu ſuo diſſeret. Huic ſolennitati Scholaſticae, cui dies dicta eſt XXVIII Aprilis, ut Proceres Reipublicae Magnifici, Praenobiliſſimi, Ampliſſimique, ac litterarum ſtudiorumque Fautores omnium ordinum reliqui, ſuis quisque titulis condecorandi, frequentes intereſſe velint, ea, qua decet, obſeruantia peto atque contendo.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, a. d. XXVII April. CIↃ IↃCC XXXII.

10759799



# III.

## Paradoxa quaedam.

Paradoxa quaedam in medium adferre animus eſt, non qualia Stoicorum illa fuerunt, plena verborum cavillationibus, ſed alterius cuiusdam generis, minus quidem fortaſſe mirabilia, non tamen ideo minus a multorum opinionibus diſcrepantia. Quanquam enim recte vetant ſapientes, quidquam pro vero adfirmari, quod ſit communi hominum ſenſui intelligentiaeque contrarium; propterea, quod ea, quae parum probabilia cunctorum videntur iudicio, riſus potius, vel contemtus et indignatio, quam adſenſus conſequatur: licebit tamen nobis, opinor, aliorum exemplo, proponere aliquot ſententias, quae peregrinitatis nouitatisque aliquantum prae ſe ferentes, nihilo ſecius, ſi propius eas inſpexeris, nihil, quod non facile probari admittique poſſit, in receſſu habeant. Ac primo quidem loco, ut reciſis ambagibus ad rem ipſam veniamus, ponimus hanc: *Ingenuarum artium quaedam iis maxime proſunt, qui minime eas profitentur.* Multorum animos vitioſa quaedam inſedit opinio, utilitatem atque praeſtantiam omnis doctrinae liberalis unice ex lucro, quod

quod ex ea capi queat, esse metiendam. Itaque Theologiae, iuris ciuilis, ac medicinae studia, nemo est quin utilissima esse fateatur; quoniam iis, qui ea, quantum satis est, coluerunt, non deest victus parandi, quin et rei interdum faciendae, occasio: reliqua vero parum, aut paucis certe, arbitrantur utilia; quod exiguus est eorum, qui ex iis victitant, numerus. Sed vehementer falluntur, qui ita rationem subducunt. Quemadmodum enim non is est siue diuinioris scientiae, siue iurisprudentiae, siue artis medendi, verus et proprius usus, ut famem eius praesidio sedemus; sed ut ad supremi Numinis cognitionem et cultum, ac sempiternam adeo felicitatem adipiscendam, homines adducantur, ut suum cuique tribuatur, ut valetudinis cura geratur: sic literarum, quae ab humanitate nomen habent, et Philosophiae quoque, non tam hi genuinum percipiunt fructum, qui eas publice profitentur; quam illi, qui eas ad superiores, quas vocant, disciplinas rectius facilius-que tractandas, ad animum perficiendum, ad vitae denique usum transferunt. Maiorem profecto, ut sub exemplo loquamur, linguarum peritia, dicendique artes, utilitatem adferunt illis, qui stilum suum regibus, principibus, rebusp. commodant, qui sermonibus ad populum habendis, qui caussis agendis, qui libris, aut alioquin

varii generis ſcriptis, quae publice legi debent, componendis occupantur; quam his, quibus eas, parva plerumque mercede, docentibus inter adoleſcentes, et in ſcholae pulvere, conſeneſcendum eſt. Ampliſſimum ex logicis fructum percipiunt, qui de rebus cauſſisque grauiſſimis, difficilibus, obſcuris, perplexis, in quibus vi magna recte ratiocinandi opus eſt, ſiue ad ſublimiorem quandam eruditionis partem pertineant, ſiue in ciuilibus aut forenſibus verſentur negotiis, ſiue in vita et conſuetudine hominum communi occurrant, perſpicue explicateque differere, probabilia, certa et vera a contrariis diſcernere, errantes revincere, ſine ulla artis oſtentatione, norunt; exilem illi, qui praecepta artis, miſera quadam diligentia, rudibus animis inculcant, et ſyllogiſmos conſtruere, ac diſputatiunculas paullatim inſtituere tirones docent. Hiſtoria ludus et iocus eſt iis, qui omnium temporum res geſtas memoria tenent, et tanquam fabulas auditoribus denarrant; qui vero eius ope, quam admirabili Dei providentia res humanae adminiſtrentur agnoſcunt, qui iura principum defendunt, qui aliorum exemplis prudentiam comparant, et vitam ſuam regunt, his demum vere prodeſſe cenſenda eſt. Ex Geometria noſtris in regionibus parum eſt, quod commodi percipiunt, qui agrimenſores agunt; plurimum contra

quod

quod hi, qui recte ratiocinari ea duce didicerunt, et in omnibus rebus, quod clarum, distinctum, consequens est cernere possunt. Eadem et aliarum ratio est disciplinarum, ut, qui perpetuo in illis iactantur, minus fere frugiferas eas sentiant, quam qui, posteaquam quod in iis maxime practicum est didicerunt, ad alia studia, aliamque vitae rationem conuersi, veram earum utilitatem quotidie experiuntur. Ex his conficitur, male rebus suis consulere, qui, quoniam scholae operam suam addicturi non sunt, praesidia et adiumenta illa rei bene gerendae securius se posse negligere, aut omnino, nescio quid rubiginis affricare ea, hominibus politam atque venustam quandam vitae rationem sectantibus, opinantur. Nam et haec persuasio multorum mentes pervasit, quibus paradoxum videbitur, quod altero ponimus loco: *Literae humaniores non efficiunt, quo quis negotiis gerendis, et vitae ciuilis cultui, sit minus idoneus.* Non imus inficias Grammaticos vetustis etiam temporibus male audiisse, quod quidam eorum minutis quaestiunculis, maledicentia, moribusque absurdis, aut exosos aut ridiculos sese reddebant, et a muneribus reip. gerendis remouebant. Et fuerunt sane propiori quoque aetate, qui his literis sic obrutam atque oppressam haberent mentem, ut aliam ullam cogitationem vix admissura videretur. Qua ex

re eam hominis perſonam exiſtere neceſſe eſt, quam elegantiores tantopere improbant atque refugiunt, ut malint nuntium his literis remittere, quam mores ſuos earum contagione quadam adflari. Verum enim vero, quae hominum eſt culpa, ea non in ipſam doctrinam eſt imprudenter conferenda. Nihil eſt in ipſa linguarum veterum indole atque natura, nihil in rebus, quae graecorum latinorumque monumentis continentur, unde ingenia hominum ad res agendas, et morum venuſtatem, inepta effici neceſſe ſit. Vt nemo ſanus dixerit, linguae gallicae cognitionem quemquam politiorem reddere, etſi Galli inter elegantiſſimas gentes haberi ſoleant: ſic neminem accuratiore graecae latinaeque linguae peritia agreſtem et incultum fieri certum eſt, ſi vel maxime Graeci Romanique tales fuiſſent: quod tamen longe ſecus ſe habet. A rebus ipſis trahere animos id vitium nequaquam poſſe, quod priſcorum ſtudioſis auctorum impingi ſolet, non minus manifeſtum eſt. *) Perſequuntur enim ſcriptores vetereres argumenta plerumque grauiſſima, minimeque paedagogica,

*) Plurimum ſeſe in ſtudiorum ratione legendis graecis latinisque auctoribus adiutum fuiſſe teſtatur SAM. PVFENDORFIVS, unicum illud hiſtoriae germanicae decus, in epiſtola ad fratrem, cuius fragmenta leguntur *Actor. Philoſ. Vol. III. p.* 953. *ſeq.* Totus huc pertinet ANT. BLAKWALL de praeſtantia auctorum claſſicorum.

gica, et ita perſequuntur, ut magnos viros, non de triuio gerrones eos fuiſſe intelligentibus facile adpareat. Viderunt et ſuperiora et noſtra tempora viros humanioribus ſtudiis non tinctos, ſed plane ingurgitatos, qui et iudicare de rebus omnibus prudenter, et rebus gerendis cum laude praeeſſe nouerunt. De ADRIANO TVRNEBO, quod notiſſimum eruditis nomen eſt, MICHAEL MONTANVS, *) idoneus certe iudex, admirabundus narrat, adeo eum promte ſcienterque de reip. pariter ac belli negotiis iudicaſſe, tanquam in his ſolis perpetuo verſatus fuiſſet, quum tamen omnem vitam contriuiſſet in literis. EZECHIEL SPANHEMIVS et legati, quod ſuſtinebat, munere laudabiliter functus eſt, GILBERTO BVRNETO **) teſte, et ſimul tot libros exquiſita abſtruſaque doctrina refertos edidit, ut graecae latinaeque eruditioni ſoli videretur vacaſſe. Neque difficile foret aliorum ***) exempla adferre, ſi id nunc age-



retur.

*) *Eſſais liv. I, ch. 24. p. m. 101.*

**) Hiſtor. ſui temp. *p.* 659. verſ. germ.

***) E. g. GVIL. BVDAEI, LAZ. BAYFII, ANTON. AVGVSTINI, IAC. BONGARSII, HVGONIS GROTII, etc. conf. huc GVNDLINGII Otia. *P. III. p.* 231. *ſeqq.* Huc quoque Baconis de Verulamio exemplum pertinet. Ipſe de ſe haec ſcribit, de augm. ſcient. L. VIII, c. 3. -- ad litterarum dignitatem nonnihil pertinere putem, quod homo quispiam, ad litteras potius, quam ad aliud quidquam, natus, et ad res gerendas, neſcio

retur. Reſtat igitur, ut non a literarum genere, ſed aliis ex fontibus manauerit, quidquid in politioris doctrinae cultoribus ſtrenuis vitioſi et impoliti notatum fuit. Habuerunt fortaſſe quorundam animi eam formam, ut etiamſi nullam unquam partem optimarum artium attigiſſent, nihilo magis ad ciuilem vitam apti futuri fuiſſent. Quidam ſcientes volentes totos ſe his ſtudiis tradiderunt, dulcedine videlicet eorum ſic illecti, ut reliqua omnia prae illis contemnerent; qui ſi in aliis quoque rebus tantundem induſtriae collocare voluiſſent, parem ex iis gloriam fuiſſent reportaturi. Quosdam ipſum munus, quo fungebuntur, in eam conditionem detruſit, *) ut ſiſyphio cuidam ſaxo voluendo addicti, et a conſuetudine elegantiorum hominum fere ſeiuncti, ſqualoris aliquid contraherent, et ſuos quosdam ſibi mores fingerent, nequaquam publici ſaporis. Neque iniuria ineptam docendi diſcendique rationem, quae temporum vitio hinc inde inualuit, ingeniorum corruptorum accuſaueris: qua de

neſcio quo fato, contra genium ſuum abreptus, ad ciuilia tum munera tam honorifica et ardua, ſub Rege prudentiſſimo, aſſumtus fuerit etc. quanquam hic non tam humanioribus, quam phyſicis etc. deditus fuerit.

*) Un préjugé generalement reçu eſt que les gens de lettres ne ſont bons qu'à faire de Livres etc. Baumelle mes penſées, CCCCLI. ubi pulchre oſtendit falſitatem huius praeiudicii.

de re hic non eſt dicendi locus. Et quo tandem iure his, quae ab humanitate nomen habent, ſtudiis imputabitur, quod in illos etiam cadere poteſt, qui tota vita ab iis alieni fuerunt. *Eſt* enim, en tertium paradoxum! *id vitii genus, quod vulgata nunc voce Pedantiſmum vocant, non uni hominum ordini proprium, ſed omnibus, niſi caueant, commune.* Cuius quidem ſententiae praeſtantiſſimos viros auctores habeo, ſcriptorem nimirum artis cogitandi, gallice primum editae, *) tum et eos, a quibus ſcitiſſimi illi, qui *Spectatoris* praeſcriptum titulum gerunt, libelli anglice editi ſunt, **) magnis in aula Britannica honoribus perfunctos. Haec ſi nimis alicui inopinata accidat, ei, quid velit ſibi vox illa barbara, conſiderandum eſt. *Pedantes* ***) igitur Itali, opinor, Hiſpani



*) *Art de penſer, p. m.* 15.

**) *Vol. II, Nr.* 105, *p. m.* 86, 87.

***) Hac forma etiam uſus eſt G. Naudaeus, in Synt. de ſtud. lib. p. m. 78. *Pedantae*, nam ſic latine plerique efferunt, vocem FERRARIVS, ſi CRAMERO in Lexico Italico fides eſt, a *pedaneo*, ut ſit quaſi Magiſter pedaneus; C. A. HEVMANNVS, vir longe celeberrimus, in *Poeciles To. II. L. I. ep.* 7. ſpecioſiſſima coniectura a *Pedano*, quod Grammatici apud IOVIANVM nomen eſt, deducunt. Habet eam Italica, Hiſpanica et Gallica lingua formam participii ſubſtantiue uſurpati, cuius generis plures extant, videturque a communi earum matre latina, eiusque verbo *pedare*

et Galli, ſua lingua dixerunt, qui literarum elementa, et linguae latinae primordia, tradebant. Horum plerique, quum continenter pueros inter deſidentes, omnium, praeter ea, quae profitebantur, eſſent ignari, eamque ob cauſſam ineptis ſaepe de

*pedare* fluxiſſe, unde notare poteſt eum, qui pueris eſt pro adminiculo, eadem propemodum, quae paedagogi vocabulo ſubiecta eſt, notione. Officii nomen fuiſſe verborum commentarii docent, ex quibus laudamus FRANCIOSINI Vocabularium Hiſpanicum, et CRAMERI Lexicon Italicum. Idemque patere poſſe puto ex *Giornat. VIII. nou. II.* itemque *concluſione Decameronis* BOCCATII, a LEONARDO SALVIATI recenſiti et repurgati (immutatis nimirum locis omnibus, quibus vel religio, vel cleri exiſtimatio laedi videbatur) et ex ea recenſione 1587. Florentiae quartum excuſi, cui praefixus eſt indiculus vocabulorum, quae antea non legebantur in hoc libro, in quibus eſt etiam *Pedanti.* Quod non ita capiendum, quaſi tum demum ortum fuerit, quicquid id eſt nominis, nam reperitur in PETRI ARETINI Comoedia, quae inſcribitur *IL MARESCALCO*, inter perſonas dramatis: Et MICHAEL MONTANVS in *Tentam. Lib. I. c. 24.* ſtatim ab initio, dicit, ſe puero, natus eſt a. 1533. in Comoediis Italicis *Pedanti* ſemper perſonam ridiculam fuiſſe impoſitam, neque *magiſtri* cognomen inter Gallos honeſtius fuiſſe, eamque rem ſe tuliſſe grauiter, quod in diſciplinam illis traditus, honoris illorum fuiſſet ſtudioſiſſimus. Sed non vacat omnia, quae dici poſſent, adferre. (Pedantaria eſt apud Leonard. Aretinum L. IV, ep. I, p. 107. obiit autem Aretinus 1443. f. 1444. Cadit igitur coniectura Heumanni V. C. Iouianus Pont. enim eſt multo iunior.)

de rebus alienis a professione sua iudiciis, et absonis a vitae elegantioris cultu moribus, ridendos sese praeberent, fastu interim ex imperii puerilis consuetudine, et falsa eruditionis persuasione turgentes, factum est, ut in contemtum veniret honestum olim nomen, et in conuitium paullatim versum ad eos adhiberetur denotandos, qui animum his, quae diximus, vitiis, siue omnibus simul, siue uno eorum et altero, infectum ex discipulorum subselliis retulissent. De *Pedante* deinceps factum est *Pedantissimi* nomen, quod mentis illum habitum moresque significaret. Iam cerebrum habere omni liberali cognitione, quae ad victus quaerendi rationem non pertineat, vacuum, ac de rebus adeo plerisque male iudicare, et nihilominus videri sibi belle sapere, in alio quouis ingenuo homine aeque vitiosum est atque in paedagogo. Finge aulicum, finge militem, qui maxime distare ab hominibus, hac, de qua loquimur, nota inustis, vulgo creduntur, de rebus ad aulam, ad militiam spectantibus, in omni familiari congressu, tolerabiliter differentes; ceterum ubi de religione, de republica, de moribus, de regnorum populorumque historia, de rerum natura, sermo inciderit, continuo vel suffuso rubore obmutescentes, vel singulis verbis imperitiam, impudenter prodentes: num alio hi, quam illi Italorum

*Pe-*

*Pedantes* vitio infeſtabuntur? Hoc quoniam proprium alſud nomen non habet, recte *Pedantiſmus* appellabitur, in quocunque demum deprehendatur: quemadmodum glorioſae eruditorum oſtentationis ſpecimina Thraſoniſmi a quibusdam dicta fuere, tametſi illud verbum in milites glorioſos proprie competat. Sicut autem in ſcholis natum eſt hoc monſtrum, ſic in iisdem conficietur etiam, ſi docentes pariter ac diſcentes operam dabunt, ut ea, quae homines ingenuos decet, cognitione mentem exornent, et ſe humanitatis eſſe ſtudioſos rerum argumentis demonſtrent. Cui officio quatenus Lycei noſtri coetus ſatisfecerit, inſtituto per hosce dies examine exploratum eſt, quod die craſtini, orationibus aliquot, in auditorio noto, publice recitatis, terminabitur. Exponet vero VIR SVMME REVERENDVS, CHRISTOPHORVS LVDOVICVS HARTMANNVS, ECCLESIARVM ROTENBVRGENSIVM ANTISTES, *de dulcedine vitae inter ſtudia literarum transactae.* Tum nos *in recenſendis, qui de adoleſcentiae ſtudiis moribusque formandis praecepere, ſcriptoribus,* ut anno ſuperiore coepimus, pergemus. Tandem FRIDERICVS ALBERTVS MEISTERVS, Weickershemio - Hohenloicus, Reip. Alumnus, cum moribus honeſtis, tum ingenii quadam maturitate conſpicuus, et in ſtudiis adhuc diligenter, nec ſine fructu ver-

versatus, *Iuuenem diuinis literis consecratum sub Origenis exemplo spectandum proponet.* Magnificos igitur, Praenobilissimos et Amplissimos Reip. Proceres, omnesque huius bonarum artium officinae Patronos atque Fautores, et quidquid adeo literatorum in hac urbe est hominum, rogamus et obtestamur, ut ad decoranda haec Gymnasii nostri solennia frequentes conuenire ne grauentur: quam beneuolentiae significationem obseruantia, studiis, et, quibus possumus, officiis meruisse conabimur.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, a. d. XXI. April. CIↃIↃ CCXXXV.

# IV.

## Monita adolescentibus literarum studiosis suggesta.

Vt munus reipublicae adferre maius meliusue non potest, quam qui iuniorum animos virtute instruit, et literarum informat scientia: sic de adolescentia nemo magis et praeclarius meretur, quam qui salutaribus illi monitis aurem subinde vellicat, et optimarum artium vias faciles et expeditas ostendit. Plerumque enim hanc aetatem rerum inscitia et calidus sanguis vexat,

vexat, ut quid ſibi, quoue pacto, agendum ſit, non ſatis intelligat, et ſaepe, quum rectiora videat, praua tamen ſequatur. Itaque, ſi ſuis adoleſcentem cupiditatibus lacerandum relinquamus, ſuoque arbitrio vitam et ſtudia permittamus inſtituere, raro ad frugem perueniet, atque habebit olim, cur ſe neglectum, aut male habitum fuiſſe, iure merito queratur. Sin vero diſciplina conſiliisque noſtris inconſultam eius temeritatem corrigere ſtudue-rimus, duorum alterum euenire neceſſe eſt, ut aut melior et eruditior factus gratias tandem habeat iis, quorum beneficio ignorantia vitiisque ſeſe exuit, aut ſaltem agnoſcere debeat, ſua culpa accidiſſe, ut is non ſit, quem eſſe decebat, et in praeterita, ſi fieri poſſet, redire cupiat. Hoc praecipiendi monendique iuniores officium quanquam omnium ſeniorum eſſe debet, et una quaſi cuiusque ciuitatis voce adminiſtrari; quippe quod cum reipublicae ſalute quam arctiſſimo vinculo copuletur: tamen ſeu negligentia hominum, ſeu moleſtia et difficultate rei factum eſt, ut fere parentibus, ac iis, quibus adoleſcentiae erudiendae cura publice commiſſa eſt, relictum ſit, quos eo maiori fide et alacritate hanc operam ſiue reipublicae, ſiue ſuboleſcentibus eius ciuibus, praeſtare par eſt, quo pauciores habent eius ſocios et adiutores. Ac nos quidem, quum voçe, quoties fert occaſio,

casio, ac propemodum quotidie; hanc prouinciam nostram ornare, pro virili, conemur, haud abs re fore putauimus, si hoc tempore, ubi de more aliquid scribendum esset, partem monitorum, quae necessaria, vel non inutilia iudicaremus adolescentibus in scholae stadio decurrentibus, literis consignata proponeremus. Recognoscere sic poterunt nostri, quae non semel ex nobis coram audiuerunt, et monitricem, si volent, paginam in sinu circumferre, ex qua, quae aures eorum praeterfluxerunt, commode repetent. Reliquos vero, si qui forte nobis obtingent lectores, obseruanter rogamus, ut institutum hoc nostrum, quod insolens quodammodo videri potest, sed tamen exemplo non caret, pro humanitate sua benigne interpretentur. Primum igitur omnium quibus literatae vitae sortem siue ratio dedit, siue fors obiecit, etiam atque etiam diligenter considerent, quidnam rei sit eruditio, et ad quem finem referri, ad quem scopum collineare debeat, omnis, quam deinceps ingressuri sunt, studiorum, et omnis omnino viuendi ratio. Hac enim deliberatione omissa, temere vagatur animus, neque quid agere expediat prudenter decernere potest. Vitandam autem hic sibi inprimis existiment pestilentem illam, quae multorum insedit animis, opinionem, ut artibus mechanicis et opificiis operam dant homi-

nes,

nes, quo famem pellere, aut rem facere aliquando possint: sic literarum etiam studia eo consilio recte tractari, ut habeamus aliquando, unde victum comparemus, aut ambitioni nostrae velificari, atque honoribus gerendis admoueri queamus. Qui hac sunt mente, nunquam sceleribus expurgabunt animum, nunquam ingenuo veri inflammabuntur amore, nunquam ignorantiae superstitionique bellum indicent. Neque minus illorum fugiendum sentiant errorem, qui voluptatem et delectationem propemodum solam quaerunt in literis, praua illas laboris impensa culturi, nisi multum ex ipsis iucunditatis perciperent. Nam hosce, et quae parum amoeni habent, ac multum laboris postulant, studia, ut fere maxime necessaria et utilissima quaeque, praetermittere, et in reliquis vero minutioribus nullo ordine versari necesse est. Multo maiora spectant, multo augustiora cogitant, et longe celsius quiddam animo destinant, qui verum studiorum finem ob oculos habent propositum. Hi quidquid in literis agunt, ad animum suum emendandum, ad rempublicam, cuius ciues sunt, iuuandam ornandamque, ad generis humani salutem pro virili parte promouendam, ad supremi Numinis honorem maiestatemque inter mortales amplificandam, inprimis referunt. Eos se esse meminerunt, a quibus omnis propemodum cum felicitas, tum per-

pernicies, ſocietatis humanae proficiſci ſolet, quum iis publica et eccleſiarum et ciuitatum procuratio ferme ſolis, in meliore orbis parte, concredatur, magnaeque adeo opportunitates offerantur, ſalubria pariter et noxia publice conſilia explicandi. Summa igitur contentione eo connituntur, ut mentem habeant neceſſariis virtutibus, artibus, doctrinis, excultam, et communis utilitatis amore inflammatam, quo prodeſſe olim, in ſui quisque muneris functione, mortalium generi, et praua corrigere, collapſa inſtaurare, labefactata firmare, recta vero ſarta tecta conſeruare et velint et poſſint. Si quid honoris, aut commodi, aut honeſtae voluptatis etiam, coniunctum fore ſperant, cum vitae genere, quod elegerunt, diligenter cauent, ne his, quae ſponte potius, Deo prouidente, oblata verecunde accipere, quam ardenter debent venari, vaniſſime conſectandis, in transuerſum agantur, et a recto itinere turpiter deflectant. Eorum autem, quibus noſtris moribus ſtudiorum rudimenta continentur, nihil prius eſt linguarum cognitione. His, quoniam tanquam eruditionis comparandae inſtrumentis in poſterum utentur adoleſcentes, committendum iis non eſt, ut earum rudes ad maiora veniant; quum praeſertim nulla aetas linguis diſcendis, quam puerilis, et quae huic eſt proxima, ſit magis onea. Ac latina quidem omnibus opus

esse litterarum studiosis nemo temere ambigit. Neque graeca posse carere, cum omnes, qui ad ampliorem eruditionem contendunt, tum eos, qui sanctiora studia amplexi sunt, extra controuersiam positum est. Si quis frustra se graecis operam in adolescentia dedisse, neque, quem ex ea lingua fructum percipiat, videre existimat, is quaeso cogitet, ne vernaculam quidem cuiquam prodesse, nisi qui satis eam calleat. Ebraicam non sine dedecore, ne iam dicam damno suo, negligunt futuri oraculorum diuinorum interpretes: et alii quoque, qui Deum ipsum sua quasi lingua loquentem audire gestiunt, et ab aliena tantum interpretatione pendere generosa mente recusant, utiliter discunt. Si cui plures discendi voluntas est, gallicam forte, quae, quod ei laboris impenditur, utilitate sua abunde repensat, non repugno. Sed monendus est noster, ne obruat animum, et plus oneris tollat quam ferre potest, neu, dum in memoria excolenda totus est, ceteras mentis partes obsolescere, et situm contrahere sinat. Deinde, ne ostentationem potius, quam usum spectet, aut linguarum comparata notitia ad eruditionis arcem se euasisse existimet. Errant sine dubio, qui veterum inprimis linguarum accurate gnaros, et simul ineruditos esse posse persuasum habent: non minus vero errat, qui, si hac eruditionis parte sit instructus, nulla re alia indigere

digere ſe opinatur. Tres autem huius cognitionis quaſi gradus conſtitui ſolent. Primus, ut intelligere bonos auctores, ſaltem eos, qui artes, quibus operam daturi ſumus, tradidere, ſine multo inquirendi labore, queamus. Hic omnibus litterarum ſtudioſis conſcendendus eſt, et peſſime omnino rebus ſuis conſulunt, qui infra hunc ſubſiſtunt. Alter, ut animi voluntatem promere, et quae ſentimus ſcripto complecti commode ſciamus. Hunc quoque ut conſequatur nihil in ſe deſiderari patietur noſter, ſi ſapiet. Nam et ſaepe neceſſarium eſt calamum ſumere, et multa parit commoda. Tertius eſt, ut loqui etiam, ſi opus ſit, queamus, nec muti inter latine confabulantes agere cogamur. Huc enitentur qui ingenio ſatis valent, et ultra vulgus ſtudentium ſe volunt attollere, ut in academias delati examinatoria, quae vocant, collegia, et diſputationes reformidare nè cogantur, et magna adeo proficiendi opportunitate ipſi ſe priuent. Non iam dicam alias etiam uſu venire poſſe interdum, ut erudito homini ore latino ſubito ſit loquendum. Ratio autem diſcendi latinam linguam, quam ſequendam cenſemus his, qui tirocinia iam poſuere, et ſuo marte conari aliquid poſſunt, haec fere eſt expeditiſſima. Primum omnium declinationes et coniugationes, ac reliqua maxime neceſſaria grammatices elementa, ſi forte non ſatis ea cal-

leant, diligenter repetenda ſunt, ut ea tanquam digitos ſuos norint, neque unquam in iis impingant. Aliter moleſta et tarda nimis erit omnis auctorum lectio, neque facile maturioribus annis, quod in pueritia neglectum eſt, reſarcietur. Tum auctorem aliquem incipient legere, ac ſumma quidem attentione, ut, quantum fieri poteſt, ſi non omnia, certe pleraque, intelligere ſtudeant. Deligent autem eorum unum, quos in ſchola explicari audiuerunt, ut facilius intelligant, aut ſi alius placuerit, adnotationes et verſionem, quales quaedam non contemnendae, aptae tironum uſibus, exſtant, in ſubſidium vocabunt. Ciceronem omnibus eſſe praeferendum, hunc de manibus non deponendum, ſeu adoleſcentibus, ſeu viris, linguae latinae ſtudioſis, porro, ut quisque Ciceroni eſt ſimillimus et aetate proximus, ita diligentiſſime eſſe legendum, eruditiſſimi viri conſentientibus cenſent ſuffragiis. Recte nobis videntur agere, qui horum conſilia ſequuntur : ſed, pro temporum noſtrorum conditione, neque eos vituperandos exiſtimem, qui quemcunque ſcriptorum veterum, quo delectari ſe prae ceteris, quem maxima cum voluptate tractare ſe poſſe rentur, deligunt, eumque nocturna diurnaque manu verſandum ſuſcipiunt. Etiamſi enim a Cicerone omnem propemodum ſermonis formam petere liceat, et hic ſuffi-

cere

cere paene ſolus poſſit, et multis fortaſſe, quod Eraſmo, accidere queat, qui, quum iunioribus annis non valde ei placuiſſet Cicero, aetate prouectior in gratiam cum eo rediit: tamen concedendum aliquid ingeniorum varietati, ac praeſtare omnino videtur, ut inferiorem aliquem libenter, quam ut hunc faſtidioſe legamus. Quin etiam, ſi quis adoleſcens imbecilliori ſit mente, quam ut ex vetuſtis auctoribus eum, quem decebat, fructum capere queat, quod ſane in tam promiſcua literis operantium turba, et in tanta priſcorum librorum ad intelligendum difficultate, ſaepius, quam velimus, accidere neceſſe eſt, non verebor ei aut delectos ex veteribus locos, accommodatos et inflexos ad captum rudiorum, aut ſuperioris noſtraeue aetatis ſcriptorem, ducem dare, cuius veſtigia minori moleſtia, maiori fructu ſequatur. Quicunque is ſit, quem legere inſtituit noſter, eius cum ſingulas tum coniunctas voces accurate conſideret, vim ac poteſtatem earum inueſtiget, quae verbis nomina, quae ſubſtantiuis adiectiua, quae verbis et adiectiuis aduerbia coniungi ſoleant, quae ſynonyma, quae oppoſita, quae propria, quae figurata, particulas praeterea et conuinctiones orationis, ſyntaxin item et a vernacula diſcrepantiam, diligenter notet, ac ſi maiores fecerit progreſſus, antiquitates etiam, formulas ſolemnes, artium ſectarumque

vocabula obſeruabit, neque quidquam praetermittet, quod animum, ut par eſt, aduertenti, nouum, rarum, venuſtum, ſignificantius dictum, aut alioquin obſeruatione dignum videbitur. Tametſi multis haec parua videantur, et vix memoratu digna, tamen ſine his maiora conſtare non poſſunt, neque ulla, quae ad linguarum vim, proprietatem, caſtitatem pertinet, obſeruatio contemni debet ab eo, qui perfectam earum cognitionem affectat. Si occurrit, quod ne quidem poſt mediocrem inquiſitionem intelligas, tranſiliendum erit, ne fatigata mens faſtidire lectionem incipiat. Erit, quum aperta et dilucida tibi apparebunt, quae primum legenti abſtruſa et obſcura videbantur. Quae hac ratione excuſſa fuerunt, in vernaculam quam poteris proprie eleganterque conuertes. Sic lecta firmius haerebunt animo, et ſermonis materni facultatem augebis. Paullo poſt de vernaculis latina reddes, et verſione tua cum auctore comparata, in quibus aberraueris cognoſces, ac ipſe tibi magiſter eris. Multum in hoc ſtudio adiuuari ſe experietur, qui grammaticam accurate ſcriptam attente ſemel iterumque perleget, et quae eum adhuc fugiebant, diligentius adnotabit. Tironum profectus remoratur potius, quam promouet, multitudo praeceptorum grammatices, quod diuturna experientia, et virorum exercitatorum in hac palaeſtra teſtimonia,

ſtimonia, ſatis docent, et fieri aliter non poſſe argumentis etiam validis oſtendi potęſt. Verum qui in auctoribus legendis aliquandiu verſati fuerunt, ac iam ad ſtylum ſerio gnauiterque exercendum adgrediuntur, iis minus moleſtiae, immo aliquid fortaſſe iucunditatis, adferet regularum artis adcuratior cognitio, et illud tribuet commodi, ut, ſicubi dubii haereant, ſcire poſſint, quomodo expedire ſe debeant, nec in ſcribendo ſubinde impingant atque labantur. Neque negligendi ſunt noſtro, qui de particulis linguae latinae, de latinitate pura et impura, de barbariſmis et ſoloeciſmis, ſeparatim expoſuerunt, aut alioquin ſingulares quasdam obſeruationes collegere, quibus natura et conſuetudo ſermonis romani declaratur. Quanquam enim ſua cuique induſtria maximos in hoc obſeruandi ſtudio fructus pollicetur: tamen, quemadmodum, qui in peregrinas terras abierunt, viſenda omnia, et hoſpitum cognitione digniſſima, rectius inueſtigant, ſi ex peregrinatorum deſcriptionibus ante ſuſceptum iter, domi pleraque cognouerunt: ſic felicius quae obſeruari merentur in auctoribus deprehendent, qui doctis praemonſtratoribus uti voluerint. Legendis vocabulorum commentariis, Lexica vocant, ſi quis aliquantum temporis deſtinauerit, tantum inde reportabit commodi, quantum laboris atque eruditionis iis con-

ſcribendis auctores impenderunt. Poſtquam de lectione diximus, proximum eſt, ut de ſtilo, optimo dicendi opifice, noſtrum paucis moneamus. Eſt autem eius operae, quae huic tribuitur, bipartita ratio. Aut enim exemplar quaſi quoddam boni auctoris ſequendum nobis, et imitatione effingendum proponimus, aut liberiore aliquid ſcriptione procudimus. Quum ad ſimilitudinem alicuius boni ſcriptoris orationem noſtram conformare volumus, non ea tantum, quam paullo ante oſtendebamus, ratione tractandus is nobis erit, ſed praeterea periodorum formae, membrorum contextus, amplificationis ratio, figurarum uſus, omnis ſermonis ſtructura, totumque dicendi genus eſt conſiderandum, ac breuibus pronunciatis, quae copioſe ornateque dicta ſunt, comprehendenda, ut facilius, quam theſin, quibus modis partibusque probauerit ac dilatauerit, appareat. Non erit deinde difficile aliam theſin ſimili artificio diſponere, et oſſeam iſtam compagem carne ſua veſtire. Qua in re ſi ita verſabimur, ut eadem ῥήσεις et πάθη, eaedem figurae, e noſtra oratione eluceant, et quo loco comprehenſionibus uſus eſt auctor, nos eodem utamur genere, ubi ille inciſim aut membratim dixit, nos idem nobis faciendum putemus, adhibitis etiam vocibus et locutionibus ei, quem imitandum ſuſcepimus, familiaribus, prodibit opus geminum exem-

exemplari, quod ob oculos habuimus propositum. Deligentur, in quibus hoc imitandi exercitium instituatur, optimorum loca auctorum, ad quae effingetur materia, quae ornatum facile recipiat, ac penitus intelligi a nobis possit, neque vires nostras excedat. Idque tamdiu erit faciendum, quoad facultas comparata fuerit sine molesta inquisitione perspiciendi, quomodo, quae legimus, similitudine quadam sint exprimenda. Alterum scribendi genus est, quo amplius stilo spatium permittimus, neque limitibus tam angustis eum continemus: sed ita tamen, ut nunquam a veterum exemplo recedere eum patiamur longius. Hoc si exerceri volet, velle autem debebit, narrationem contexet noster eorum, quae contingere quotidie solent; aut epistolam exarabit, qui amplissimus campus aperietur scribenti, si varia literarum genera peruagari instituet; aut quaestionem aliquam pertractabit; contrahet item quae explicate scripta sunt, contra explicabit contracta; locum auctoris germanici latine conuertet, obseruata utriusque linguae proprietate, et quae cetera sunt huius generis. Scribendi facultatem adepturis poesis negligenda non est, cuius expertes plurima, quae ad elocutionis naturam, virtutes, vitia, pertinent, ignorabunt. Itaque, quanquam nemini temere suasor sum, ut nimium in hac arte temporis consumat, nisi ad eandem

natus factusque videatur; quum nullos potius in republica esse poetas, quam Bauios et Meuios meros, expediat: tamen adolescenti committendum non est, ut ab omni versu componendo plane abstineat. Interdum etiam excitatur usu natura, et efflorescere latentia semina incipiunt, ut qui parum se idoneum, laboris fortasse fuga, poesi crediderat, carmen sani coloris pangat, et poetae haud improbabilis spem ostendat. In omnibus, quae scribet noster, utetur verbis, non obsoletis, raris, obscuris, sed usitatis, quotidianis, perspicuis; multo minus recentia et barbara permiscebit priscis et probis, nec vernaculae idiotismis aut soloecismis inquinabit orationem. Non quod reip. salutem in ea re verti existimemus; sed quoniam, quod in omnibus linguis vitiosum est, id neque in latina tolerari debet, nisi eam breui immutari penitus, et nouam ridendamque sapientioribus dialectum cudere velimus. Vsitata autem, quotidiana et perspicua, aestimanda sunt non ex usu eorum, qui hodie scribunt; sed auctorum veterum qui florente imperio ro. vixerunt, in quorum dictione naturalis illa pulchritudo, ille candor, illa grauitas, inaffectata illa mundities conspicitur, quae tantam istorum ingeniis admirationem conciliauit, ut inde ab eo, quo orbi illuxerunt, tempore, tanquam communes magnae partis generis humani praeceptores

atque

atque magiſtri, lecti cultique fuerint. Cauere non potuerunt eruditiſſimi viri, qui totam vitam in linguae latinae ſtudio contriuere, quin parum latina interdum illis exciderent. Quid nobis accidere debet, qui non niſi aliquot annos ei damus, niſi ſumma diligentia ſermonis ſcabritiem vitandam, caſtitatemque tuendam nobis eſſe decernamus? Si qua ingreſſo hanc viam difficultas occurrit, ut certe non occurret nulla, conſtantia et ordine diſcendi, et lenta quadam feſtinatione, ſuperari poterit ab adoleſcente bene nato. Nullum is mihi diem patiatur abire, quin aliquid commentetur, aliquid ſtilo exaret: ſpectetque hic mihi, non quam multum, ſed quam bene, quam accurate ſcribat. Sic fieri non poterit, quin procedente tempore et cura retineatur, et firma quaedam facilitas paretur, ut tandem et multa et bona ſine ſudore poſſit expromere. Quae ſcripſerit in aliquod tempus reponat, atque ad ea poſt interuallum, tanquam noua et aliena redeat, et, quae videbuntur lima opus habere, emendet ac poliat, ſed modo ſeruato, ne cura male ſedulus peiora reddat, et natiuum quaſi colorem orationis exſtinguat. Plura, quam erat conſilium, de lingua latina diximus, ipſa ſcholarum conſuetudine inuitante, quae plurimum ei temporis conſecrare iubet, quod quidem non aliter fieri poſſe videtur. Neque vero iam opus eſt ſeparatim

tim

tim de ceteris quoque linguis praecipere. Nam qua ratione latina, eadem et illae diſcuntur, nimirum ut, percepta grammatices parte maxime neceſſaria, in auctoribus legendis, et obſeruanda verborum, tum ſingulorum tum coniunctorum, propria vi atque natura adſiduam operam collocemus, vocatis in ſubſidium libris, qui ad eam rem adiumento eſſe poſſunt. Graecam atque ebraicam ſine magna moleſtia cognoſcere, et maiores quam vulgo fit progreſſus in iis facere volentibus, ſalubre dant conſilium, qui aliquot adoleſcentes partiri inter ſe penſa, et e. g. pro ſe quemque aliquot commata graeci ebraiciue ſacri codicis, ſumma induſtria conſiderare, atque ad grammaticae regulas, quae opus videbuntur, reuocare volunt, tum deinde conferre, quae ſinguli obſeruarunt, et permutationem quaſi mercium ſuarum inſtituere, ut quantum omnes iunctim cognouerant, tantum ſinguli proficiant. Oportet vero quotidianam eſſe huiusmodi diligentiam, ſaltem dum ſalebras, quae in primo ſe offerunt linguarum aditu, plerasque euaderis. Nihil eſt, opinor, quod magis impediat celeriter alioquin progreſſuros, quam conſuetudo illa, plurium dierum interuallo, non niſi unam alteramue horam initiis tribuendi. Nam et quae perceperunt, ſpatio iſto interiecto facile obliuiſcuntur, et dum diu in principiis haerere neceſſe eſt, taedio fere

ferè adficitur animus rei, quae per ſe parum amoenitatis habet. Faciendum igitur eſt, ut cito ſuperatis, quae plurimum moleſtiae afferunt, ipſe profectus excitet mentem; ut, quod reliquum eſt laboris, lubenter ſubire velit. Non poſſum, quin de vernacula quoque noſtra pauca ſubiiciam, cui et ipſi colendae aliquam induſtriae ſuae partem impendere adoleſcentes fas eſt, quod huius uſus et in loquendo et in ſcribendo quotidianus eſt, et quo videtur ea plerisque facilior, quippe quam cum lacte materno haurire ſoleamus, eo turpius negligitur. Impingere autem in his Germaniae regionibus plerique, etiam docti, ſolent in quam plurimis, et vitioſe multa efferre, violatis grammaticae praeceptis, confictis etiam ſaepenumero nouis vocibus, quibus nullo noſtro damno carere poteramus. Ne iam de toto dicendi genere dicam, quod reprehenſione quibusdam minime carere videtur. Medelam huic malo afferent noſtri, ſi et germanicae linguae praecepta per otium cognoſcant, et librum unum alterumue viri germanice docti, et eloquentis, mature legant, et in quibus, quam forte a teneris imbibere ratio, ab iſtius differat ſtilo, diligenter obſeruent, quod, ſi vel paullulum intenderint animum, eos fugere non poterit. A ſermonis cultura ſi diſceſſeris, nihil eſt, quod adoleſcentiae magis conueniat, quam hiſtoria-

rum,

rum, et quae his famulantur artium, Geographiae inprimis cognitio, quae nunquam sine damno differtur. In hac ita volumus versari nostrum, ut breuem quandam seriem rerum gestarum, inde ab orbe condito ad nostrum usque saeculum deductam, animo comprehendat, in periochas suas distributam, et temporum notatione distinctam. Quae res, quum memoria inprimis constet, ea omnibus modis subleuanda est. Fiet id, si parua pensa discenda sumat, si ad posteriora prius non progrediatur, quam priora animo probe adfixerit, si eadem saepius repetat, si quae memoriae, etiam literis, stilo ministro, mandet identidem, quae quidem in omnibus ediscendis obseruasse neminem poenitebit. Coniunget huius cognitionis cupidus ciuilem, ecclesiasticam et litterariam, quarum unaquaeque sine caeterarum ope manca erit et mutila, neque eam, quam par est, utilitatem praestabit. Litteraria, qua parte librorum tradit notitiam, difficillima est, nisi libros ipsos inspiciendi fuerit copia. Qui igitur huius expertes esse nolunt, eos omnem oportet captare eius rei occasionem. Fontes inprimis historiarum, atque artium disciplinarumque praestantissimos scriptores, tum qui nostris studiis prae ceteris prodesse possunt, ut cognitos habeamus par est: ne in tanto librorum prouentu decipi nos sinamus, ac malis emendis pecuniam, legendis vero bonas horas

horas perdamus, ac praeterea, quod omnium eſt perniciosiſſimum, ingenium animumque contagione quadam patiamur afflari, ut quid ſolidum, eruditum, cultum, ſanum, iudicare ac diſcernere nequeat. Requirunt, quae adhuc diximus, magnam memoriae exercitationem; ſed tractanda ſunt etiam, quae intelligendi iudicandique vim acuant atque amplificent, quod Matheſis et Philoſophia polliceri videntur. Ac Mathemata quidem ſe neglexiſſe, falſa inſuperabilis difficultatis opinione in fraudem adductos, multi paſſim queruntur, et aliquam Arithmetices, Geometriae et Coſmologiae peritiam magno redimerent. Caueat noſter ne idem ſibi accidat, et perſuaſum habeat, vel ob ſolam methodi mathematicae, quam vocant, notitiam, et quem in omnibus diſciplinis, omnique veritate inueſtiganda, praeſtat fructum, dignam eſſe Matheſin, quam iuſto ordine tractet literarum ſtudioſus: ne iam dicam multas eius eſſe in omni vita utilitates, quod nemo negat. De Philoſophia non eſt ut multa adferamus, cuius ferme omnis tractatio in Academias reiicitur. Duo tamen ſunt, quae monendus videtur noſter. Primum, ut quibus membris conſtet Philoſophiae corpus, quis eorum ſit nexus, quae cuiusque functio, ſcire ſtudeat. Alterum, ut de uſu et praeſtantia eius recte ſentiat. Multi iis tantum eam diſcendam credunt, qui ſcholae aliquando

operam

operam ſuam addicturi ſunt, multi tanquam ſpinis meris ſentibusque horridam auerſantur, quidam plane noxiam magis, quam fructuoſam, delirant. Itaque raros alicubi pro dignitate ſua habet cultores. Sed vix eſt, ut quis ratione recte utatur, ut auctoritate hominum et praeiudicatis opinionibus ſe duci non ſinat, ut ſuperſtitione animum liberet, ut ſemetipſum, et magnam hanc hominum, in qua viuimus, ſocietatem, et hoc mundi, quod incolimus, domicilium, ut par eſt agnoſcat, niſi Philoſophorum limina aliquandiu calefecerit. In ſuperioribus vero, quas vocant, diſciplinis facilius longiusque progredi Philoſophia initiatos, quam ea deſtitutos, ut peruulgatum, ita longe eſt veriſſimum. Non eſt ergo, cur male ſe collocaturum operam ſuam vereatur, niſi grauius aliud impedimentum ſibi obiici ſentiat, qui de huius doctrinae fontibus tantum haurit, quantum fundo ſuo rigando ſatis eſſe poteſt. Eius vero diſciplinae, quae ſempiternae nobis felicitatis viam demonſtrat, quae pectus noſtrum amore ac fiducia Dei implere, ac vitam omnem regere debet, cognitionem hoc aetatis ſpatio negligere adoleſcentem, ſiue is ad Theologiam, ſiue ad aliud ſtudiorum genus adpulerit animum, plane flagitium eſt. Nam illi quidem, quid aliud, niſi ſummam animi leuitatem produnt, dum ea diſcere omittunt, ex quibus maximus illis fructus oſtendi-

ditur, quae, quò maturius noſcuntur, eò faciliorem ad reliqua gradum ſternunt. Hi vero, quùm ex ſcholae carceribus dimiſſi, totos ſe aliis ſtudiis tradere ſoleant, valde exigua tenuique rerum ſacrarum notitia inſtructam habebunt mentem; ea vitae ſuae parte, quam, quod maximis expoſita eſt periculis; maxime aduerſus impietatem, falſasque de religione opiniones, munitam eſſe conueniebat. Vtrisque ergo curandum eſt, ut ſanctae religionis noſtrae dogmata recte intelligant, animoque comprehenſa teneant, ac diuinarum ſcripturarum confirmare teſtimoniis, ac viciſſim ex hisce elicere et colligere eadem, promte queant. Neque decreta eorum, qui à veritate diſſentiunt, non ſunt ipſis cognoſcenda; illa duntaxat, quibus reliqua opinionum moles ſuperſtructa eſt. Non cadit in hanc aetatem uberior accuratiorque controuerſiarum de religione tractatio. Nam acriore mentis iudicio ad eam opus eſt, nec ſufficit quibus rationibus nitantur aduerſarii, et quomodo eae infirmentur, memoriter recitare poſſe, niſi ipſe, quid verum falſumue ſit, perſpicias; et errorem, qui in mille ſe formas vertit, ſub omni habitu poſſis agnoſcere. Si porro verum eſt, uniuscuiusque ſententiam ex ipſius ore librisque rectiſſime tutiſſimeque percipi, et qui operae pretium facere velit, conſulere eos ipſos debere, quos confutaturus eſt, facile adparet, hanc ſtu-

diorum partem in aliud tempus reiici debere. Potius eſt, ut noſter ſcripturae ſacrae adſidue legendae ſeſe tradat, dicendique genus, quo ea utitur, familiare ſibi reddat, loca difficiliora intellectu iam nunc notare incipiat, et boni interpretis ductu ea intelligere, ac, ſi ſtudiorum ferat ratio, ad philologiam ſacram proludere conetur. Fundum hunc eſſe cogitet ſtudiorum ſacrorum, quo neglecto, nulla horum pars fructuoſa eſſe poteſt: ac parum agnoſcere videntur beneficia diuina, qui non iis, quae in promtu ſunt noſtro tempore ad eam rem adiumentis, grate cupideque utuntur. Haec ſunt fere, in quibus diſcendis, ut curriculi ſcholaſtici tempore diligenter verſentur, qui nos audire volunt, monemus atque hortamur. Plura videbuntur ea ſine dubio multis, quam quae capere anguſti eorum animi poſſint. Sed non eſt cur deterreri ſe vel mediocria ingenia patiantur. Fugiant modo, Deo bene iuuante, quaecunque contendentibus ad metam fraudi eſſe, currentesque ſufflaminare ſolent, et alacri ſtadium animo conficere nitantur. Caueant inprimis ne deſidiae ſe dedant, et optimam aetatis partem per ſocordiam ſibi patiantur elabi. Nihil agendo male agere diſcimus, et proſequitur otiandi conſuetudo his annis adſcita in ſenectutem usque, neque niſi ſummo labore immutari poteſt. Nihil autem agit etiam is, qui aliud agit quam debet, et qui

oſcitan-

oſcitanter agit; quod prae manibus habet. Oportet adoleſcentem bonum eſſe ratiocinatorem, non annorum et menſium, ſed dierum et horarum, qui periiſſe ſibi exiſtimet omne tempus, quo non legit, aut ſcripſit, aut commentatus eſt, quo fieri poſſit melior et doctior, quo non, tanquam formica, paruo granum aceruo adiecit. Deinde caueant noſtri, ne corporis exercendi, animique recreandi obtentu, voluptatibus, compotationibus, ludis, congreſſionibus commilitonum non neceſſariis, ambulationibus intempeſtiuis, indulgeant, ac meminerint, iis etiam, quae nihil turpitudinis habent, oblectamentorum generibus modice utendum eſſe, aut etiam intra modum. Facile perturbantur animi Numinis reuerentia non ſatis muniti, et in diuerſa diſtrahuntur, ut non niſi aegre ad ſtudia redeant, et una hora male collocata aliquot dierum moleſtiam adfert, dum mens, deliciarum guſtu aegra et faucia, ſanitatem paullatim recipiat, ſi tamen omnino recipit, nec, veneno quaſi peſtifero adflata, lento malo contabeſcit. Tertia cautio eſt, ne ſuum potius, quam magiſtri, iudicium in tota diſcendi ratione ſequantur. Eſt haec magna, niſi egregie fallor, fundi literarii calamitas, quod ſtudioſi iuuenes, ii praecipue, qui plus quam reliqua turba ſe ſapere opinantur, non raro ſalutaria conſilia contemnunt, nec ſibi ad ſtudia recte inſtituen-

da, quidquam prudentiae deeſſe arroganter exiſtimant. Non ſe, non vires ſuas ſatis norunt adoleſcentes, non literarum, et quibus hae indigent, praeſidiorum naturam habent cognitam, neque quibus opus ſit ſtudiis per ſe animaduertunt. Nunquam igitur impune peritiorum conſilia eos aſpernari, aut a praemonſtrato itinere diſcedere videmus, quin obſcuros in anfractus incidant, ex quibus non niſi inſigni temporis diſpendio tandem eluctantur. Quarta eſt cautio, ne, ubi tenuem quandam ſtili facultatem conſequuti ſunt, aut aliarum artium vix bene rudimenta depoſuere, neſcio cuius ſibi doctrinae perſuaſionem induant, et iam non habere ſe putent, quo ultra progrediantur. Quibusdam enim, quod mentis imbecillae pueris, accidit, qui aliquot forte aera nacti, ingentium diuitiarum ſe dominos arbitrantur. Vehementer ſtudiis officit iſta vanitas, multique ad eruditionem peruenisſent, niſi ſe eo iam peruenisſe putaſſent. Et quo quis magis ſibi placet profectibus ſuis, eo plerumque eſt ſtolidior. Metitur enim ſe modulo infirmiorum condiſcipulorum, et, tanquam luſcus inter coecos regnum adeptus, exſultat, et quam amplam, variam et ſolidam rerum cognitionem in homine docto requirat ſaeculum noſtrum, ſe neſcire demonſtrat. Quintam cautionem volumus eſſe, ne per omne genus librorum aut diſciplinarum temere vagentur

gentur iuniores, et effrena quadam multa iciendi cupiditate grauem tum animi viribus, tum ſtudiis ſuis noxam inferant. Meminerint illa SENECAE: *Certis ingeniis immorari et innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Nusquam eſt, qui ubique eſt. In peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, ut multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat neceſſe eſt iis, qui nullius ſe ingenio familiariter applicant, ſed omnia curſim et properantes transmittunt.* Et paucis interiectis: *diſtrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non poſſis, quantum habueris, ſat eſt habere, quantum legas. Sed modo, inquis, hunc librum euoluere volo, modo illum. Faſtidientis ſtomachi eſt, multa deguſtare: quae ubi varia ſunt, et diuerſa, coinquinant, non alunt. Probatos itaque ſemper lege: et ſi quando ad alios diuertere libuerit, ad priores redi.* Hactenus SENECA. Sed alia cautione opus habet haec cautio, nimirum ne ſalubre conſilium in ignauiae conuertatur occaſionem, et minus lectioni, quam par eſt, tribuatur. Audiamus DAV. CHYTRAEVM, qui, quum in ſtudiorum initiis certos quosdam et paucos, eosdemque optimos auctores, prae ceteris ſaepe multumque legendos, et penitus cognoſcendos praecepiſſet, haec ſubiicit: *quo praecepto non ab omnium aliorum auctorum lectione*

*omnino deterrentur ſtudioſi, ſed certum veluti domicilium et ſedem perpetuae ac certae lectionis deligere iubentur, in qua familiariter et aſſidue habitent, et ad quam redeant, cum ad aliorum auctorum, poetarum et hiſtoriarum lectionem exſpatiati ſunt.* Habebunt cur ſibi gratulentur, quibus bonus conſultor obtigerit, qui idoneos aptosque ingeniis et ſtudiis ipſorum libros indicet, atque induſtriam legentium regat, qui et omni cura quaerendus eſt. Poſtremo, quibus ſapientia et eruditio cordi eſt, ne eant, moneo, qua itur, ſed qua eundum eſt, neque exempla potius quam rationem ſpectent. Nihil minus dignum eſt eo, qui doctrinae ſe ſtudioſum profitetur, quam omnibus vulgi erroribus implicari, quos literae, ſi explent munus ſuum, coarguere atque depellere debent. Non eſt igitur, ſi commendari audias, quod vulgo fieri non ſolet, aut modeſte reprehendi, quod in multorum more et conſuetudine poſitum eſt, tacita exemplorum excuſatione utendum, ſed erigendus animus ad incorruptam veritatis contemplationem, et ab illiberali caecaque aliorum imitatione abducendus. Sentient, uſuque ipſo comperient, qui haec, quae diximus, fugerint, multo plura ſe poſſe praeſtare, quam ipſi crediderant, et cur multi in primis initiis conſiſtant, neque eo, quo poterant, procedant, hanc unam fere cauſſam eſſe, quod his impedimentis reti-

tetineri ſe patiantur. Adiiciam pauca quaedam alia, aeque trita illa quidem, ſed non eo minus obſeruanti utilia. Exploret nimirum noſter ingenium viresque ſuas, quoad licebit, identidem, poterit autem nullo negotio ſcire, celeriterne, quae traduntur, arripiat, ſitne ſibi memoria fidelis et tenax, facilene concipiat fingatue rerum imagines, ut parti laboranti queat ſuccurrere. Si tardus eſt, diligentius inſtabit diſcendis; ſi memoria vacillat, ſaepe eadem repetendo firmabitur; phantaſia lectione poetarum excitabitur, vel, ſi nimium vigeat, quod ſane optabile non eſt, abſtinebitur ab omnibus, quae turbare eam poſſunt. Rationem porro a ſe repoſcet, quantum in auctorum lectione, in ſtilo poliendo, in ceteris, profecerit, ut ſi quid deeſſe ſibi deprehendat, mature magiſtrum adire, et candide ſimpliciterque imbecillitatem confeſſus, remedium petere poſſit. Nunquam accedendum eſſe ad lectiones audiendas, niſi diligenter praeparatum, acri animi attentione auſcultandum, et quae perceperis, ſiue ſoli ſiue cum commilitone iteranda, nemo ſcholaſticorum ignorat, et rari tamen, quod frugiferum eſſe norunt, ſequuntur. Quicquid audiueris ante incognitum, vocem forte vel phraſin animaduerſione dignam, aut technicam, prouerbium, verſum ſententiamue memorabilem, libri vel hominis docti elogium, et id genus

alia, in ephemeridibus consignare prodest, ut et facilius in memoriam reuoces, et paullo post, quibus rebus auxeris opes tuas, non sine voluptate recognoscas. Quo adnotata relegas libentius, literas pingere adsuescas quam fieri potest elegantes. Molestum est oculos male scripta legendo fatigare: itaque raro nobis usui sunt, quae parum scito confusoque calami tractu exaraumus. Multa legendo, audiendoque cognouisse, et adnotasse quoque, parum proderit, nisi frequenti cogitatione ea ruminaris, ut omnem vim rerum animo recte complectaris, ut tanquam cibus bene mansus et liquefactus in succum et sanguinem vertantur, et corpori eruditionis accedant. Locos bonorum auctorum veterum insignes, etiam ad verbum ediscere, si memoria suffragetur, magni viri iubent: quidam a se neglectam fuisse hanc exercitationem, neque a magistris suis sibi commendatam, senes doluerunt et questi sunt. Plura addere non licet, terminos praescriptos vel sic longius supergresso, quanquam multa monenda supersunt, de moribus et pietate praesertim, de quibus, si Deus vita paceque frui clementer nobis permiserit, alias dicturi sumus. His interim si uti voluerint nostri, quae non ab eruditione quadam recondita, sed ab utilitate commendationem expectant, non speramus, sed scimus fore, ut nunquam eos obsequii sui poeniteat.

Nunc

Nunc illud agamus, cuius cauſſa hic codicillus publice proponendus fuit. Luſtratis nimirum Lycei noſtri ciuibus, die craſtini, in auditorio noto, hora pomeridiana prima, orationibus publice habendis, ceteriſque, quae apud nos moris ſunt, finis huic ſcholaſticae ſolennitati publice imponendus eſt. Elegit autem VIR SVMME VENERABILIS CHRISTOPHORVS LVDOVICVS HARTMANNVS, S. S. TH. D. ECCLESIARVM ROTENBVRGENSIVM SVPERINTENDENS VIGILANTISSIMVS, CONSISTORIALIS ET SCHOLARCHA GRAVISSIMVS, *elegantem legibusque noſtris Gymnaſticis congruam materiam de laude ac praeſtantia Poeſeos.* Nos *ſcriptorum, qui de re ſcholaſtica, et recta docendi diſcendique ratione, expoſuerunt, recenſum inſtituemus.* Denique LVDOVICVS Endres, reip. alumnus, *literas etiam belli tempore eſſe colendas*, pro virili oſtendere conabitur. Cui anniuerſario actui, ut Proceres huius ciuitatis magnifici, praenobiliſſimi ampliſſimique, reliqui omnium ordinum Viri praeſtantiſſimi, ſuis quisque titulis condecorandus, et omnes adeo, qui muſis noſtris fauent, frequentes intereſſe ne grauentur, ea, qua par eſt, animi obſeruantia petimus atque contendimus.

P. P. Rotenb. ad Tubarim III. Id. Maii
CIↃ IↃCC XXXIV.

# V.

## Monitorum adoleſcentibus literarum ſtudioſis ſuggeſtorum pars altera.

Quod tertio abhinc anno facere coepi, ut adoleſcentes, qui mea inſtitutione utuntur, ſalutaribus monitis atque praeceptis inſtruerem, quibus quidem haec aetas ſine ſuo damno carere non poſſet, id nunc, Deo bene iuuante, abſoluere atque perficere conabor. Et ſicut olim ferme per ſaturam, ut aliud ex alio incidebat in mentem, quomodo in literarum ſtudiis verſandum cenſerem tironibus, pleraque expoſui: ita hoc tempore, eandem rationem ſecutus, de moribus, quantum res poſtulare videbitur, praecipiam: quo quidem in genere pietatis erga Deum officia primum locum obtinere par eſt. Haec igitur, quanquam communia ſunt omnibus hominibus, tamen ea praecipua quadam ratione literarum ſtudioſis eſſe colenda, certum exploratumque adoleſcentibus eſſe debet. Nam ſi verum eſt, quod optimus Seruator noſter ait, eum ſeruum, qui, quum heri ſui voluntatem ſciret, non mandata fecerit, nec eius voluntati paruerit, grauius vapulaturum: poenarum profecto imminentium grauitate abduci

abduci remouerique a pietatis neglectu eos fas est, qui saepe multumque, quid ab iis fieri vellet Deus, scriptura sacra magistra, edocti atque admoniti fuere. Periculi porro, in quod se temere coniiciunt, qui frustra mentem suam caelestis monitu Spiritus pulsari patiuntur, consideratio horrore quodam perfundere potest, ac debet etiam, animum seu leuitatis seu contumaciae eiusmodi sibi conscium. Fieri enim subinde solet, ut, quorum aures quotidie verbum salutis et audiunt et praeterfluere sinunt, tandem, quasi stupore quodam perculsi, nullo nec sensu neque cura rerum diuinarum amplius tangantur, et penitus occallescant; qua quae periculosior miseri hominis conditio excogitari possit, equidem nescio. Illud etiam mouere debet eruditionis cupidos, ut pietatem sibi inprimis colendam statuant, quod ea ad ipsum animum doctrina exornandum multum adiumenti adferre potest. Non iam dicam impium neminem ad variam quandam et ingentem eruditionem adspirare posse, quod experientia satis refellit: sed fac duos adolescentes, paribus ingenii dotibus praeditos, pari discendi ardore inflammatos, ad tractandas bonas artes accedere, quorum alter supremi Numinis reuerentia ducatur, precibusque diuinam opem exposcat, atque ad verae sapientiae praescriptum studiorum rationem omnem componat; alter vero a pie-

pietate alienus horum nihil faciat, neque enim potest quisquam, nisi mente diuinitus immutata: utrum, rogo vos, existimatis maiores in omni doctrinae genere, quod quidem necessarium et utile, et ad communem siue ecclesiae siue reipublicae salutem amplificandam sit accommodatum, progressus facturum? Illumne, qui caelesti spiritu agitatur et calet, Deumque propitium et adiutorem operis habet; an hunc, qui male fidis naturae viribus nixus, ipse sibi dux et rector anfractuosi itineris esse audet? Neminem profecto tam leuem ac temerarium fore puto, ut homini Deo inuiso plus tribuat, quam ei, qui gratiosus est apud Deum. Non iam repetam, quod alibi dictum, qui rem seu sacram seu ciuilem in partibus suis gubernandam curandamue olim suscepturi sunt, non posse verae virtutis studium negligere, quin grauem simul noxam rei publicae pariter atque ecclesiasticae inferant, et vitae exemplo atque munerum administratione, vitiorum contagione latissime ab iis manante, aduersa omnia iis, quae debebant, efficiant. Verum hoc loco cauendum est diligenter, ne falsa quadam pietatis virtutisque specie decipiamur, et, quae aut commodi alicuius, aut etiam honoris voluptatisue spe commoti, congruenter legi facere solemus, vel contrariis de causis omittere, iis satisfactum Christiani hominis officio putemus.

Quae-

Quaecunque ex vera in Christum fide non proficiscuntur; ea, teste apostolo, placere Deo non possunt. Fides autem, nisi, quam ex utero matris nobiscum adferimus et quotidie delinquendo augemus, mentis corruptionem, et iram Dei poenasque promeritas agnoscamus; earumque interiore sensu eo redigamur, ut nusquam, nisi in optimi Seruatoris nostri merito, anhelante desiderio salutem quaeramus, nasci nequaquam potest. Hoc itaque primum omnium est faciendum, o mei, ut excitari vos a Spiritu Sancto ad salutarem eiusmodi resipiscentiam patiamini, non motibus eius repugnantes, non eos, si forte molesti vobis videbuntur, opprimentes; sed piis potius precibus et meditationibus sacris eo usque alentes, donec is opus in vobis suum perfecerit. Eum in finem scripturam sacram adsidua lectione vobis terendam memento; quae sola viam, qua ad salutem sempiternamque felicitatem peruenire licet, ostendit; neque ostendit solum, sed potenter etiam mouet animos, ut velint, et vires iis subministrat, ut possint eam ingredi, neque unquam satietatem aut fastidium recte utentibus adfert, atque adeo cunctis omnium sapientum libris longissime antistat, et in summo piis mentibus habenda est pretio. Quam eius diuinam vim atque virtutem qui nunquam in se experiuntur, ii non ea, qua par est, ratione in ea legen-

da

da verſantur. Precibus Deo quotidie ſupplicare, et gratias pro innumeris, quae in nos confert, bonis agere non omittent, qui recte ſecum expenderint, non eſſe hoc oneroſum quoddam et moleſtum ſeruitium, ſupremo Numini, velut ſeuero alicui hero, praeſtandum; ſed immenſum potius beneficium, quod digne ſatis aeſtimari ab homine vix poſſit. Quid enim maius eſſe poteſt, quam ad Dei quaſi quoddam familiare colloquium admitti, quidquid nos affligit et angit, in ipſius ceu benigniſſimi patris ſinum effundere, quidquid nobis deeſt cum confidentia petere, et plane cum Deo, quaſi cum amico et conſorte, omnia noſtra negotia communicare? Haec cum caeleſti noſtro Patre precibus agendi fiducia ne imminuatur, aut omnino impediatur, cauendum eſt, ne quidquam, quod ipſi diſplicere, aut illud amicitiae vinculum diſſoluere poſſit, ſcientes volentesque perpetremus. Quis enim audeat ad eum accedere, aut res ei ſuas commendare, quem petulanter a ſe laeſum eſſe, conſcientia intus dictante, fateri cogitur? Itaque diligenter pectus eſt muniendum, accurateque mens cuſtodienda, et adſidue vigilandum, ne tot peccandi illecebris, quibus quotidie ſumus expoſiti, in fraudem illiciamur. Si quid malae ac libidinoſae cogitationis in mentem inciderit, continuo illud oratione, aut contraria cogitatione, aut negotio aliquo idoneo ſuſcep-

ſuſcepto, expellendum, nequaquam vero, tanquam ſcintilla flabello, in flammam ſuſcitandum. Explorandus et excutiendus diebus ſingulis animus, ne quid nobis inſcientibus in eo vitii haereat, cui non obnitamur, quod debellare non ſtudeamus, cuius veniam a Deo non ſtatim ſupplices petamus. Non legendi libri peſtilentes, qui mentem turpium, aut vaniſſimarum certe, rerum imaginibus polluunt, atque, ut argumenti grauioris et ſalubrioris ſcripta, velut nauſea laborantes, faſtidiamus efficiunt. Abſtinendum ab inutilibus confabulationibus, quibus et bonae horae, quae etiam poterant non perdi, male conſumuntur; et animus nugatoriae leuitati adſueſcit; et ſaepe homines praui, magiſtri perſona ſumta, innoxias mentes ad malitiam pertinaciamque informant; et quae forte bonae indolis ſcintillae in his ſupererant, penitus extinguunt. Hanc praecipue ob cauſſam commilitonum, quorum vitioſi inquinatique ſunt mores, ſodalitates non neceſſariae omnino fugiendae, neque loca illa temere frequentanda, in quibus omnia licere ſibi male feriati homines putant, ubi plurimi bonae mentis et corporis ſani iacturam faciunt. Optamus procul abeſſe a noſtris intempeſtiuam quandam libertatis affectationem, qua quidam, perruptis omnium legum ſcholaſticarum repagulis, effuſo curſu in omne nefas ruunt, et boni ordinis obſer-

uantiam

uantiam disciplinaeque custodiam indignam homine ingenuo seruitutem interpretantur, atque adeo a sacris publicis et a scholis abesse, et stili exercitia omittere, et quaecunque discere ipsis parum iucundum videtur negligere, prodeambulare ubi libitum fuerit, noctu vigilare, dormire interdiu, ludis, nugis, fabulis irreparabile tempus conterere, ut sibi concedatur volunt. Abesse item optamus stolidam illam arrogantiam, qua quidam elati vel verbulo, quantumuis comiter, moneri sese, tanquam laesa existimatione sua, aegre ferunt, et omnia sua dicta et facta, qualiacunque tandem sint, probari postulant, neque actorum reddendam sibi rationem ullam existimant. Quam dent utrique se turpiter, et quanta intemperie agitentur, ita perspicuum est, ut demonstratione non egeat, neque quisquam facile tam perfrictae frontis est, qui, quum, deferuescente sanguinis aestu, aetas confirmatior rectius de rebus iudicium permisit, et sua ipsum experientia, quam male sibi prospexerit, conuicit, vitam suam anteactam probare sustineat; excusare fortasse conabitur, sed ipsa excusatio erroris confessio est. Qui aliquando illam mentis tranquillitatem, illam literarum dulcedinem, illos in studiis profectus, illum cum praeceptorum, tum bonorum omnium fauorem, ceteraque, quae in futurum quoque sperare potest is, qui recta se disciplina coer-

coerceri patitur, vel ipſe potius ſeſe coercet, perceperint atque conſiderauerint, ii nunquam de iniqua rerum ſuarum conditione querentur. Mentiendi libidinem, qua tegere commiſſa pueris ſolenne eſt, ſeruilium animarum vitium eſſe meminerint noſtri. Conſpirare vero ad magiſtros mendaciis circumueniendos, etiam in re per ſe tenui, plane ſceleſtum eſt: quod qui facere audent facile ad grauiora flagitia prolabuntur. Qui negat ſe feciſſe, quod fecit, ſuopte iudicio condemnatur: qui negat patraſſe alios, quod patrarunt, in alienae culpae ſocietatem ſtolidus venire non reformidat. Intemperantia quoque inter ea eſt vitia, ad quae iunior aetas procliuitate quadam naturae ferri ſolet. In memoriam igitur reuocandum identidem illud, eſſe oportere ut viuas, non viuere ut edas, quod quidem de potu quoque exaudiri debet, et ſic alendum corpus, ut inoffenſa, quantum fieri poteſt, valetudine gaudeat: quae res ingenio quoque, ut ſuus quemque ſenſus docebit, longe eſt utiliſſima. Veriſſimum enim eſt illud, quod Heraclitus uſurpaſſe fertur, ἄυη ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη, anima ſicca ſapientiſſima et optima. Non errabit, qui eum in cibo potuque modum tenebit, ut et membra ſeruentur agilia, et animus non minus poſt, quam ante paſtum ad functiones ſuas obeundas aptus ſit atque idoneus. Exercitatione item com-

moda ſanguis ſubinde ventilandus, cuius perenni et aequabili per venas arteriasque motu vitam et ſanitatem potiſſimum contineri naturae conſulti docent. Non mali auctores ſunt, qui aut torno, aut alia quapiam ratione, aliquod opus, quod nec illiberale ſit, nec inutile, horis ſubſeciuis adoleſcentes façere iubent, ut mens a commentandi ſtudio paullisper abducta, ſi quidem ei, ut par eſt, indulſerit, colligere vires ſuas queat, et corpus interim ſalubriter occupetur. Recte ſibi conſulent, qui mature cognitionem aliquam earum rerum comparare ſibi ſtudebunt, quibus ad valetudinem, ut decet, tuendam vel maxime opus eſt, in quibus notitia ſui cuiusque corporis primo loco ponenda; idque, non ut alienam prouinciam inuolantes medicos agant, ſed ut, quid incolumitatis ſtudioſo faciendum fugiendumque ſit, ſciant, neque in omnes diaeteticas regulas per ignorantiam peccent, ac ſuo ſibi iumento malam rem arceſſant. Munditiem porro commendatam ſibi habeant ingenui iuuenes, ſordesque corporis omnes, ac nimiam in veſtitu negligentiam ambitioſe quodammodo vitent, neque in cubiculis ſuis quidquam ferant, quod ſenſibus hominum ingratum aut moleſtum eſſe queat, neque committant, ut immundae potius foedaeque belluae illic ſtabulari, quam honeſti comtique Muſarum alumni habitare, videantur. Si cum viris in digni-

tate

tate constitutis, aut natu maioribus versandum, colloquendumue sit adolescentibus, cum reuerentiae, quae illis debetur, tum modestiae annos atque imperitiam suam decentis ne sint immemores. Improbatur vero rusticus ille pudor, et nimia animi demissio, quae facit, ut vix hiscere audeant, etiam quum humanissime accipiuntur. Quamque venusti moris et solennium quasi formularum, quibus subinde utendum est, ignorantia, quo quisque rectioris est iudicii, eo cautiorem et timidiorem eum efficere soleat, curabit noster, ut hanc liberalis disciplinae partem mature cognoscat, neque ullam temere eius rei occasionem elabi sibi patietur. Neque vero a libris hic tantum est subsidii, quantum ab usu et experientia sperari potest. Qui igitur nulla sua culpa his destituuntur, iis ignoscendum est, si in eam partem, quae est cautior, peccare malunt, quam gnaua quadam impudentia ingenii peruersitatem prodere. Erga aequales, et qui infra nos sunt, comes, benignos, faciles, atque omnino tales esse aequum est, quales alios erga nos esse cupimus. Nihil aliud quam ferocem produnt stultitiam, qui seu verbis seu factis alios laedere et patientiam eorum experiri audent, atque in alios se nihilo deteriores ea designant, quae si eadem mensura ipsis reddantur, tum vero magnam sibi querantur illatam iniuriam. His perpetuo ob oculos

los verſari debebat tritum illud: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, quod unum praeceptum qui diligenter obſeruauerit, nunquam in eos, quibuscum viuit, delinquet. Non fert huius ſcriptionis genus, ut ad minutiora deſcendamus, et ea omnia, quae utiliter moneri poſſent, ſigillatim perſequamur. Qui in hisce nobis, immo vero Deo potius, et ſuae ipſorum conſcientiae, dicto audientes eſſe non recuſauerint, eos in ceteris etiam, quod ſui eſt officii, facturos confidimus. Eadem eſt praeceptorum conditio quae ſeminum. Multum efficiunt, etſi anguſta ſunt. Tantum idonea mens rapiat illa, et in ſe trahat. Multa inuicem et ipſa generabit, et plus reddet, quam acceperit. *) Reliquum eſt, vt illud etiam, cuius potiſſimum cauſſa calamum ſumſimus, expediamus, et orationes, finito ſcholaſticae pubis examine, et ad ſuperiora loca aſcendere iuſſis diſcipulis, recepto more recitandas indicamus. Ac VIR quidem SVMME REVERENDVS, CHRISTOPHORVS LVDOVICVS HARTMANNVS, SS. TH. D. ECCLESIARVM ROTENBVRGENSIVM SVPERINTENDENS, *hiſtoriae ſtudium ſtudioſae iuuentuti* commendabit. Nos *de ſano eius, quae in literis eſt, pulchritudinis ſenſu, ſcitoque iudicio, quod Gallis boni guſtus nomine celebratur*, quam breuiſſime diſſeremus. Poſtremo IOHANNES

*) *Seneca, ep. XXXVIII.*

NES MICHAEL Belzner, Reip. Alumnus, *Wolffgangi Friderici Lehmi*, V. Cl. Rectoris quondam huius Gymnasii praeclarissime meriti, ex filia nepos, ingenio haud illiberali probisque moribus praeditus, *adolescentis literarum studiosi cum vitiis concertationem* carmine heroico describet. Fiet id cras, hora ab orto sole IX, seu post pomeridianam primam dimidia, in auditorio Gymnasii: Quam scholasticam solennitatem ut Patres Patriae Magnifici, Praenobilissimi Amplissimique, ceteri omnium ordinum Eruditi, muneribus ac titulis quisque suis ornatissimi, et quicunque praeterea a Musis nostris alieni non sunt, praesentia sua comiter cohonestare velint, obseruanter et officiose singulos rogamus et obtestamur.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, a. d. XVI Maii, CIↃ IↃCC XXXVII.

# VI.

## Legendi ſtudium.

Un homme qui n'a pas de goût pour la verité eſt un Eſclave. Les heures luy ſont à charge, Il faut qu'il rampe devant toutes le, Creatures pour leur demander des ſecours contre cet ennuy qui le rouge et qui le devore, Il faut qu'il cherche par tout les moyens d'eviter la vuë de luy même qui luy eſt inſupportable.

*Saurin Sermons ſur divers textes, To. III. p. 417. Geneve, 1734. in 12.*

Uſurpare in ſermonibus illud ſolemus identidem, vitae uſuram nimium breuem datam eſſe hominibus, et fugere tempus velociſſime, neque multitudini rerum agendarum ſufficere: ut aliae ſint nobis relinquendae, aliae obiter et perfunctorie, ad finem negotiorum properantibus, expediendae. Sed contra ſaepe etiam accidit, ut obliti eorum, quae alias dixeramus, et a nobis ipſi diſſentientes, tarditatem labentis aeui accuſemus, lentioresque nobis ire dies, quam velimus, queramur; et, dum partes vitae ſingulas tarde procedere, et vitam nihilominus uniuerſam celeriter decurrere putamus, prorſus eodem, quo mali ratiocinatores, errore implicemur, qui ex numeris multis magnisque in unum col-

collectis ſummam efficiunt non niſi paruam et exiguam. Quae cauſa ſit, cur tam repugnantia ſentiamus, Philoſophus forte aliquis non incommode explicauerit. Nobis illud tantummodo dicendum hoc loco videtur, pro diuerſo mentis noſtrae ſtatu diuerſam a nobis adhiberi temporis menſuram, atque hinc eſſe varietatem illam noſtri de eius duratione iudicii. Quum viget animus, quum multas res gerendas ſuſcepit, in easque magna vi niſuque perficiendas incumbit, tum, quodcunque ipſi ſpatium detur, minus eſt votis ipſius, ac ſemper ipſi nimis feſtinare ſol ad occaſum videtur. Quum autem languore marcet, et taedio quodam ex cauſis obſcuris et incognitis afficitur; aut a laboribus abhorret; aut ardenti cupiditate in rem aliquam fertur, quam ſine mora repraeſentari ſibi optat: tum vero ipſe clariſſimi ſideris curſus illi conſiſtere, et ſingula momenta, tanquam grauia et moleſta quaedam pondera, haerere in cogitationibus ipſius videntur; tum homo ſui prodigus dies et menſes, quin et annos, e ſerie vitae ſuae exemtos cupit, ut confeſtim potiatur optatis; tum omnes temporis fallendi rationes quaerit et comminiſcitur. Iam coetibus hominum frequentandi, et ſodalium conſuetudine, iam vario ludorum genere, iam vini potu, iam ambulationibus, interdum etiam ſomno, recreare mentem, excutere moleſtiam ani-

mo, et in fugam agere horas ceſſare viſas conatur. Sic facimus, ut obrepat nobis non intellecta ſenectus, ſic morti citato quaſi gradu venimus obuiam, et vitae metam non ſentientes attingimus. At illud potius agendum eſt, ut quam diutiſſime fruamur vita, neque tamen ullam extardo eius fluxu moleſtiam perſentiſcamus. Quod quidem, qua ratione contingere nobis poſſit, oſtendere aggreſſus eſt autor Anglus haud incelebris. Experientia ſenſuque uniuscuiusque ait conſtare, quo plures cogitationes, variarumque rerum imagines, in animo noſtro ſeſe inuicem longo quaſi ordine excipiunt, eo maius confectum nos temporis ſpatium arbitrari: qui nullam habet occaſionem motu alicuius corporis tempus dimetiendi, ut fieri poteſt, ſi quis in ſolitudine aliqua verſetur, aut noctu horologii uſu deſtitutus vigilet, eum, *) prout multae aut paucae ſunt res, quas animus eius contemplatus et cogitatione perſecutus eſt, ita multum aut parum temporis praeterlapſum iudicare: itaque, qui illud conſequi poteſt, ut multarum rerum imagines, quarum adſpectu delectetur, in quibus intuendis cum voluptate morari queat, menti conſiderandas obiiciat, eum effecturum, ut diu ſibi videatur protrahere vitam, neque tamen viuendi taedio capiatur. Si vera non eſt haec ſententia, magnam

*) vid. Canz. Iurispr. uniuers. §. 550.

gnam certe ſpeciem veri habet. Ac facile apparet, bonis libris legendis potiſſimum obtineri poſſe, quod ſcriptor eruditus commendat. Lectio enim praeſtat, ut multifariis ideis mentem refertam habeamus, et iis quidem, ſi delectus adhibeatur, iucundis, gratis, utilibus; atque optimam adeo rationem otii ſimul fallendi et bene collocandi ſubminiſtrat: quod cum veterum tum recentiorum ſcriptorum teſtimoniis plurimis grauiſſimisque, ſi opus foret, confici poſſet, et ſuus praeterea ſenſus, quicunque rei periculum facere non grauabitur, abunde docebit. Sed ſunt hoc loco monenda quaedam, et animaduertenda iunioribus, ut recte in lectione eiusmodi verſari poſſint. Primum omnium illud ſciendum eſt, fruſtra fere ad legendos bonos libros accedere, qui fundamenta ſtudiorum generalia non recte iecerit. Infinita in omnibus ſcriptis occurrunt, quae nemo recte intelligat, qui Geographiae, Hiſtoriae, Philoſophiae, omnino rudis eſt. Unde homines ſtudiorum expertes, et lectionis tamen cupidi, quisquilias librorum, fabulas forte Romanenſes, quas vocant, aut his haud multum abſimiles legendas ſuſcipiunt, eaque re et bonas horas male perdunt, et ingenium animumque corrumpunt, ſaepe etiam dicendi genus parum probabile adſciſcunt. Itaque, qui hoc fructu lectionis carere nolunt, tantum

opera ſtudiis dare debent, quantum ea res poſtulare videtur: etſi ceteroquin neque Theologos forte, neque Iureconſultos, neque Medicos ex profeſſo agere conſtituerint. Male ratiocinantur, qui operae pretium ſe non facturos putant, ſi multum laboris in ſtudia impendant, ex quibus nihil in poſterum lucrari velint. Dignum profecto eſt homine ſapiente, parua paucorum annorum moleſtia redimere facultatem omnis vitae iucundius tranſigendae, honeſtiſſimoque otio, ſine animi aegritudine, fruendi. Atque hinc merito inter fines ſtudiorum eſt referenda. Alterum eſt, ne ſtatim remittamus animum, ſi forte in primis initiis non ſatis delectationis percipiamus. Nihil temere ſuaue aut facile videtur animo, niſi quod conſuetudo quaedam et crebrior uſus ei inſinuauerit, cuius tanta vis eſt, ut etiam dura et grauia perpeſſu tolerabilia reddat, nedum ut, quae nihil in ſe aſperi et acerbi habent, grata et iucunda efficiat. Poſtremo delectus librorum eſt habendus, ut eos potiſſimum cognoſcendos nobis ſumamus, ex quibus delectationem aliquam, ſed cum utilitate coniunctam, petere poſſimus. Huiusmodi erunt fere, qui aut mentem cognitione rerum haud vulgarium imbuunt, aut voluntatem ad virtutem leniter ducunt flectunque, ſcriptique ſunt eleganter et commode. Atque hic prodeſt in promtu habere aliquan-

quantam eorum copiam, ut ſi aliis parum capiatur animus, aliis certe poſſit allici, aut varietate recreari, ſi nondum ſatis habeat conſtantiae, ut uni alicui poſſit immorari. Ea eſt temporum noſtrorum felicitas, ut multi paſſim et iam ſcripti ſint, et etiamnum ſcribantur libri, huic, de quo nobis ſermo eſt, negotio apti atque idonei, ut inopiae excuſatione tueri ſe rerum gnarus nemo poſſit, praeſertim, ſi quis plurium linguarum cognitione ſit inſtructus. Sunt, qui de veritate religionis chriſtianae expoſuerunt ita, ut valde faſtidioſum rerum bonarum eſſe oporteat, qui eorum ſcripta non dicam cupide, ſed haud illibenter non legerit. Sunt, qui ad Scripturam Sacram rectius intelligendam multum nobis adiumenti attulerunt, quos legendi occaſionem nactus, niſi ſalutis ſuae incurius, non negliget. Habemus, qui de morum doctrina, vitae inſtituendae ratione, et conſcientiae cura habenda, praeclare egerunt, quos, quum tanta paſſim cernatur principiorum moralium ignorantia, in manibus plurimorum eſſe rei ſacrae pariter ac ciuili optabile eſt. Neque deſunt, qui de rerum huius uniuerſi natura ita tractarunt, ut cum voluptate euolui poſſint. Iam quid de orbis terrarum deſcriptione, de hodoeporicis, de rerum publicarum notitia, de regnorum rerumque publicarum cum veterum, tum recentio-

centiorum, de eccleſiae Dei religionumque hiſtoria, de clarorum item virorum vitis dicam, quae propemodum ſingula tantam ſubminiſtrare copiam poſſunt, ut volenti, quod legat nunquam defuturum ſit. Qui ſemel lectionis dulcedine captus fuerit, plura, quam hic commemorauimus, quibus ſubſeciuum ſuum tempus tribuere et velit et poſſit, facile inueniet.

Atque hanc facilem bonorum librorum copiam Typographiae, trecenteſimo abhinc anno repertae, debemus, cuius memoriam hanc ipſam ob cauſam, hoc ſaeculari eius anno recolere, et, quot quantasque commoditates ea omni literarum generi attulerit, ad animum reuocare, eorum inprimis eſt, qui ſtudiis ſe dediderunt, et librorum uſu mentem non magis, quam cibo potuque corpus, carere poſſe haud vane exiſtimant. Itaque, quum, finito diſcipulorum Lycei noſtri examine, aliquid publice dicendum ſit, non alienum eſſe ab hac ſolemnitate id argumentum exiſtimauimus, ac dicere adeo conſtituimus *de Typographia, praeclara eruditionis et religionis adiutrice.* CHRISTOPHORVS ADAMVS Hirſching autem, V.C. *Ieremiae* Hirſching, Gymnaſii noſtri olim Conrectoris meritiſſimi, filius natu maior, cuius ingenium, in literis aſſiduitas et modeſtia, optima quaeque ſperare nos iubent, *quantum reipublicae romanae ſtatus ad propagationem reli-*

*religionis christianae contulerit*, ostendere conabitur. Magnificos igitur, Amplissimosque Reipublicae Proceres, ceterosque eruditos urbis nostrae Viros, suis quemque titulis meritisque spectabiles, et quicunque praeterea literas non aspernantur, ea, qua par est, observantia, rogamus, ut die crastini, qui erit XXIX. April. hora post primam pomeridianam dimidia, in auditorio Gymnasii, operam dare dicentibus, eaque re excitare quodammodo studia adolescentiae ne dedignentur.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, a.d. XXIIX. April. CIↃIↃCCXL.

## VII.

## Paradoxa.

Cogitanti mihi de commodo aliquo scriptionis hoc tempore publicandae argumento, in mentem venit illa fundi scholastici calamitas, quod pauci omnino de necessitate, utilitate, et pulchritudine optimarum artium, veram rectamque animo imbibere sententiam. Plerique enim non alia mente studiis operam impendendam censent, quam qua sellulariam quandam artem facturi eam addiscunt, ut nimirum ad quaestum omnia referant, et

quae

quae lucri nihil de ſe pollicentur, ea, prudentiae quadam larua ſumta, magnifice contemnant, atque indigna ſtudio hominis rebus gerendis nati, alto ſupercilio, pronuncient. Diligentis et prouidi enim eſſe nihil agere, nihil ſuſcipere, quod utile non ſit, nihil diſcere in ſpem futurae oblitionis, aut cuius uſus in futurum non appareat. Magnam eſſe multitudinem rerum neceſſario cognoſcendarum, et anguſtum illud tempus, quod ſtudiis tribuatur. Arctandos igitur eſſe, reciſis ſuperuacaneis, ſtudiorum terminos, et cum temporis, quod iis impendi poſſit, ſpatio adaequandos. Horum tametſi honeſta eſſe oratio, neque a vero abhorrere videatur; tamen, ſi accuratius paullo eam conſideres, et verba cum factis eorum compares, quam praua uam pernicioſamque de bonis literis opinionem ſub ea occultent, facile deprehendas. Nam quod aiunt nihil utiliter diſci, niſi quod ad victum quaerendum et rem faciendam pertineat, id eſt eiusmodi, ut, ſi animis penitus receperint eam ſententiam adoleſcentes, omnes, quae ab humanitate nomen habent, literas, quibus grauiores diſciplinae ornantur, et ad poſteritatis memoriam commendantur; quibus quicquid inamoeni et aſperi illae habere videntur, emollitur; quicquid rubiginis contrahere ſubinde ſolent, abſtergitur, ſint neglecturi, utinam ne vituperaturi: quod his neminem

vulgo

vulgo quaeſtum facere, aut in munerum functionibus uti vident. Sed non eſt haec idonea eas negligendi cauſa. Nam ſi in iis, quae corporis ſenſibus ſubiecta ſunt, non ſolum, quae utilia ſunt, quaerimus; ſed etiam ea, quae oculos, aures, palatum ſuauiter afficiant, quae pulchritudinis atque decentiae guſtum nos habere, atque a ſtupore et ruſticitate procul abeſſe oſtendant: cur non in iis etiam, quae ſolus animus videt ac percipit, cultum, venuſtatem, et elegantiam ſequamur, quod inconcinnum, infacetum et illepidum eſt, vitemus, omnique humanitate nos expolitos eſſe ſtudeamus? quum non minus voluptatis mens bene nata ex earum rerum, quae ſola fere intelligentia comprehenduntur, pulchritudine capiat, quam ex iis, quae iucundo quodam ſenſu corpus titillant, haurire omnes ſolemus. Sed ne ipſas quidem illas eruditionis partes, quae ſolae lucroſae illis videntur, recte ſolideque percipient, qui omnia, quae nihil per ſe utilitatis afferre videntur, temere faſtidiunt. Ea enim, quae illi, opinione ſua decepti, tanquam inutilia aſpernantur, aut intelligentiam acuunt, mentisque vires perficiunt, ut expeditius verſari in omni genere ſtudiorum queant; aut ſunt talia, ſine quibus maiora teneri et conſiſtere non poſſint. Fructuoſa ſunt igitur ipſa quoque, neque ſine damno negliguntur. Num du-

bitare

bitare poteſt, qui ſapit, utile eſſe literarum ſtudioſo, quod naturalem intelligendi facultatem, quod attentionem animique celeritatem augeat, quod claras atque diſtinctas rerum ideas notionesque animo informare, quod in iudicando errores cauere doceat, quod ad ea, quae ex quaque re conſequuntur, peruidenda, atque ad certa et demonſtrata ab incertis et probabilibus diſcernenda acutiorem faciat. Haec autem numerorum et magnitudinum ſcientia magna ex parte praeſtat, quam illi arithmeticis et agrimenſoribus relinquendam cenſent. Nihilo magis negare quisquam poteſt, niſi qui bonam mentem eiurauerit, utile eſſe ſcire, quis rerum humanarum curſus, quae gentium, regnorum, eccleſiae fata, quae literarum viciſſitudines, quae memorabilium virorum praeclare aut ſecus facta, quae virtutum praemia, vitiorum poenae fuerint, infinita porro diuinae prouidentiae argumenta cognoſcere, pueriles errores, quibus hiſtoriarum expertes obnoxii eſſe ſolent, exuere, prudentiam, quae fere rerum fortuitarum, quales hiſtoria narrat, perſpicientia conſtat, ſibi comparare, taedia vaciui temporis honeſte iucundeque depellere. Haec, et plura commoda alia, rerum in orbe geſtarum cognitio afferre ſolet. Eſt enim experientiae vicaria, cuius in omnibus rebus gerendis magna vis eſt. Iam ſi actorum generis humani memoria

fructu

fructu non caret, neque locorum terrarumque descriptionem non prodesse consequitur: quum haec isti lumen afferat, quo destituta impeditior saepe esse solet. Sed ipsa quoque per se digna est, cui liberalia ingenia aliquam otii sui partem consecrent: ne magnifici illius, quod Deus inhabitandum concessit hominibus, domicilii partes, instrumentum, ornatum, ignorent, et, tanquam aranei in aliquo amplissimi alicuius palatii angulo delitescentes, distributionem, varietatem ac pulchritudinem eius non intelligant. Ne iam dicam risum mouere peritioribus, qui nobis pedites Venetias intrant, ex lacu Acronio plenis velis in mare mediterraneum inuehuntur, aut Hollandiam urbem esse vigilantes somniant, Sinarumque gentem in Africam transferunt. Dabunt hi, credo, utile esse, quod, ne nos ludos facere aliquis petulanti splene cachinno queat, prohibet. Iam quid de exactiore linguarum cognitione dicam, quae ipsa quoque in censum eorum, quae usum nullum habeant, a multis referri solet. Non necesse est omnes esse Grammaticos: sed illud certe necesse, atque adeo etiam utile est, ut libros quibus carere non possunt, recte facileque intelligant doctrinae studiosi, et si quid in literas referendum, nisi bono et eleganti, at tolerabili certe, ne nimium postulare videamur, non infaceto et barbaro, dicendi genere

utantur. Nolo, quid veterum auctorum lectio, si recte instituatur, quid eloquentia ad praestantium priscae aetatis oratorum exemplar conformata, quid poesis, in animo expoliendo, in omni rerum actu, in omni studiorum genere, fructus atque utilitatis haud vane polliceatur, ambitiose commemorare, et diluendis obiectis criminibus molestiam creare lectoribus meis. Vehementer enim vereor, ut iis, qui virorum magnorum, quae in scholis adolescentiae manibus teri scripta solent, libros pueriles esse, non nisi linguae discendae caussa legendos, temere existimant, eorumque usum scholarum inferiorum spatio circumscribunt, ac parum lectos, parum intellectos, praecipiti iudicio, contemnunt, persuaderi vera sententia, hoc errore nondum erepto, possit. Ostendi autem, quanto hi in errore versentur, quum paucis verbis nequeat, intempestiua breuitate, quae in hac scriptiuncula nobis sectanda est, ut bonam caussam prodamus, non est committendum. Satis est mihi aliquot exemplis docuisse, utilia esse posse etiam ea, quae nisi apud eos, qui ea profitentur, nullum ipsa per se ad rem familiarem amplificandam momentum habent. Videamus nunc illud, utrum verum sit, quod aiunt, in spem futurae obliuionis nihil esse discendum. Ego vero non iniuria defendere me posse confido, nihil absurdi affir-

affirmare eum, qui dicat; posse omnino non sine utilitate disci talia, quorum nos tandem obliuio capere plerumque soleat. Nam is certe, qui Geometria tractanda animi vires, ut paullo ante dicebamus, excoluit, ea ipsa re multum ex eo studio utilitatis reportauit, etsi vel omnes omnium Theorematum demonstrationes oblitus fuerit. Eadem ratione, qui historiis legendis ea omnia consecutus est, quae modo commemorauimus, is non frustra historiae operam dedit, tametsi singularium euentorum, hominum et locorum, non amplius meminerit. Nempe quae non solum postquam ea didicimus, sed etiam quum discuntur, prosunt, illa, etiam quum euanuerunt ex animo, quod usui esse possit relinquunt. *) Atque omnino vix fieri posse videtur, ut ulla utilis alioquin cognitio, quamuis obliterata, suum cultorem destituat. Quum vero vetant ulli rei discendae vacare, cuius usus in futurum non appareat, non cogitare mihi videntur, vix fieri posse, ut quarum rerum scientia aliquando profutura nobis non sit, certo praeuideamus. Multis certe accidere solet, ut longe alia, quam iuuenes destinauerant, viris agenda sint. **) Prudentius igitur agunt,



*) confer Meier in Vernunftlehre, §. 82. p. 9. it. in Auszug aus der Vernunftl. §. 61. p. 17. ed. 1752.

**) Io. Lud. Walther Secret. Tabularii Hannou. primum Theologiae studiosus. Staphorstio Hist. eccles.

qui non patiuntur ſe ignauia ab iis rebus cognoſcendis abſtrahi, quae quandam late patentem utilitatem habent, etſi, quis eorum ipſis uſus futurus ſit, ante conſtituere nequeant. Sed ſunt, qui, ut hoc utar, querantur, graece ſe pueros didiciſſe, cuius linguae utilitatem nullam deinde per omnem vitam ſenſerint. Hi ſi idoneam graecitatis facultatem adepti fuerant, non linguae ea culpa eſt, ſed ipſorum, qui ea uti noluerunt: Nam ſi vel Nouo Teſtamento, vel aliis praeclaris graecorum monumentis, bona fide aliquantum operae dare voluiſſent, ſenſiſſent profecto, largo eam foenore compenſare, quicquid ei ſtudii laborisque tribuitur. Sed qui non ultra prima eius rudimenta progreſſi, eam naeniam canunt, ii cogitent, et paruae rei ſe iacturam feciſſe, et, ſi vernaculae ſuae magis compotes non eſſent, quam graecae olim fuerunt, ne huius quidem magnum fructum ipſos percepturos, cuius ſummam utilitatem nolent, opinor, propterea in dubium vocare. Dicerem nunc humilis et curuae in terram mentis eſſe, computare quid referant ſtudia, neque diſcere quidquam velle, niſi ad calculos prius ſederis, ratio-

eccleſ. Hamburgenſem condituro in diplomatibus vetuſtis exacte depingendis adiutrices praebuit manus. Ea peritia emergendi occaſionem ei praebuit. vid. Baringii Clav. diplom. Praef. p. 40. edit. I, 1737.

rationemque ſubduxeris, quantus inde lucri prouentus ſperari debeat. Dicerem fructum ſtudiorum non ſola ſtipe, quam merentur, metiendum; ſed vel inprimis ex animi cultu, contemplationis dulcedine, et ſcientiae praeſtantia petendum: niſi inſanire vulgo, et helleboro purgandus cerebrum videretur, qui in aliam partem, quam unde doloſi ſpes nummi refulſerit, oculos conuertat. Deflectunt vero quidam ab utilitatis reſpectu ad temporis, quod ſtudiis tribui poſſit, breuitatem accuſandam, quae reiectis iis, quae parum commodi oſtendant, maxime neceſſaria tantum carpere, et tanquam ſpolia quaedam raptim domum auferre iubeat. Voces hae ſunt eorum, qui omnem ſtudiorum curſum ſcholarum ſtadiis contineri opinantur, et ubi ſemel ad metam, quam ipſi ſibi praefiniuere, peruenerint, ſubſiſtendum ſibi putant, et praemia nauitatis ſuae tranquillis exſpectanda. Hi ſi ampliora eſſe diſciplinarum utiliſſimarum ſpatia, quam ut paucis annis abſolui poſſint, ſi generoſo animi impetu quotidie plus ultra tendendum, neque in eo curriculo ſtari poſſe, ſed aut progrediendum, aut regrediendum, perſuaderi ſibi paterentur, tum profecto Ciceronem imitandum ſibi iudicarent, et quantum temporis alii voluptatibus, ludis, corporisque et animi quieti non neceſſariae tribuunt, tantum ſtudiis colendis eruditio-

nique ſuae amplificandae impenderent, neque temporis anguſtia, quo minus animum earum, quas ſine iuſta cauſſa deſpiciunt, literarum cognitione magis magisque expoliant, impediri ſe cauſſarentur. Ceterum, quum non iisdem omnes ornati ſint ingenii animique viribus, aliique aliis citius fatigentur: ratio habenda eſt utique, ne onerentur animi imbecilles, aut confundantur adeo pluribus diſciplinis in diuerſum tendentibus: ſed ita, ne in ignauiae praetextum vertatur imbecillitatis excuſatio. Plus enim profecto natura humani ingenii valet, quam non experti facile crediderint, et in plura vim ſuam poteſt impendere, et volentem diſcere, modo via et ratione quadam progrediatur, non facile deſtituit. Non abhorrent haec, quae paucis diſputauimus, ab huius temporis ſolennitate, quo, exploratis adoleſcentiae profectibus, orationes publicae habendae, quibus finis examini vernali imponi ſolet, indicendae ſunt. Ac VIR quidem SVMME REVERENDVS, AVGVSTINVS MICHAEL RüCKERVS, ECCLESIARVM ROTENBVRGICARVM SVPERINTENDENS, *praecellentiam Sacris Chriſtianorum prae Sabbato Iudaico* tribuet. Tum nos *de Diſciplinae genere, quo veterum quidam in iuuentute educanda uſi ſunt*, pauca in medium afferemus. Poſtremo IOHANNES CHRISTOPHORVS Anſchütz, Reip. Alumnus, qui

qui cum reliquis artibus, quibus haec aetas ad humanitatem informari ſolet, Muſicam quoque, auitum gentis ſuae decus, diligenter coluit, *de Muſica* breuiter diſſeret. Ad quas orationes audiendas, ut, qui literis ſcholisque fauent, frequentes conueniant, vehementer rogamus.

P. P. Rotenb. ad Tub. a. d. XXII April.

CIↃ IↃCC LI.

## VIII.

### Cauſſae contemtus auctorum claſſicorum.

Quum ſapientiſſimo doctorum hominum, qui poſt renatas literas rem ſcholaſticam ordinarunt, conſilio, veteres graecos latinosque ſcriptores adoleſcentiam nocturna verſare manu verſare diurna oporteat, et familiaritatem adeo quandam inter linguarum ſtudioſos et antiquos illos contrahi par ſit, et perpetuam quaſi conſuetudinem: fieri tamen plerumque ſolet, ut qui e ludo dimiſſi ſunt, conuerſis ad alia doctrinae genera mentibus, abiiciant, quid vero abiiciant? immo et contemnant, illa vetuſti aeui monumenta, quae adhuc tractauerant, neque per omnem vitam ad ea redeundum

sibi existiment; gaudentes puerilia haec, ut arbitrantur, spatia sese emensos, et tanquam ex salebroso itinere in amoeniora loca esse delatos. Caussas eius rei qui quaesierit, plusculas nullo negotio inueniet, quas hoc loco commemorandas non existimamus. Illud videtur certum, si quanta sit excellentia atque praestantia librorum, quos ex temporum naufragio diuina prouidentia nobis seruauit, vulgo rectius intelligeretur, et perpenderetur exquisitius, plures futuros, qui non modo non negligerent, quos vix degustare coeperunt; sed et hos et reliquos, maxima cum voluptate, et insigni omnis eruditionis incremento, viri facti cognoscerent. Dignum visum est id argumentum, in quo explicando aliquid operae collocaret, ANTONIO BLACKWALLIO, Anglo, viro doctissimo. Is enim de praestantia Classicorum auctorum singulari libello *) exposuit, et multa huc spectantia, non ausim dicere omnia, congessit. Ex quo, quae maxime in rem nostram videbuntur,

*) Editus is est superiori anno, latine conuersus et animaduersionibus eruditis instructus, cum dissertatione de comparatione eruditionis antiquae ac recentioris, itemque IOANNIS LVCAE de monumentis publicis latine inscribendis oratione, a GE-HENR. AYRER, V. Cl. Lipsiae in 8. mai. Classici autem adpellantur primae notae et praestantissimi auctores veteres, quales censeri possunt ferme omnes qui supersunt. Neque enim nisi optimi quique aetatem tulerunt.

buntur, decerpta, quaſi alieni poma hortuli in ſaligna noſtri operis ſportula proponemus. Ac primum quidem argumentum ducit ab ipſa linguarum, quibus uſi ſunt, praeſtantia. Graecam enim latinamque linguam, iis, quae nunc ſunt in ore hominum, eſſe longe anteponendas, quemadmodum alii, qui de eadem quaeſtione egerunt, ita et noſter multis rationibus vincere conatus eſt. Sed eas quidem hoc loco adferre prohibemur, quod et inſtituti ratio breuitatem deſiderat, et in tota hac diſputatione tam multa tamque ſpecioſa in utramque partem differi poſſunt, ut pleriſque, quid veritati ſit conſentaneum, omnino incertum videatur. Hoc poſitum extra controuerſiam putamus, utramque linguam ita eſſe excultam, elimatam, et ad omne propemodum argumentum perſpicue, proprie, eleganter et cum dignitate quadam edifferendum accommodatam, ut hodiernarum ne cultiſſimis quidem cedere debeat, quin immo, quidquid, quae noſtra aetate praeter caeteras eminere creduntur, perfectionis habent, id eas antiquis illis acceptum ferre, harumque florem eſſe quaſi fructum priſci illius fundi recte prudenterque culti, harum rerum periti non ignorant. Sed linguae quidem praeſtantia pauciores fortaſſe moueri ſe ſentient, quam excellentis ingenii laude, qua per tot ſaecula priſci illi floruere, qui quum

non essent ita multis doctrinae adipiscendae praesidiis instructi, et negotiorum multitudine plerique distraherentur, quae in curia, in foro, in exercitu, in prouinciis, plerique gerebant, nihilominus tantum eruditionis consecuti sunt, ut toto passim orbe velut unici generis humani doctores atque magistri haberentur. Iam quid de studio et cura, quam in scribendo adhibebant, dicam, quae facile persuadere alicui possit, nihil nisi absolutum perfectumque ab iis proficisci debuisse. CICERO, iam sexagesimum annum natus, in media bellorum ciuilium tempestate, inter grauissimas reip. curas, ex ATTICO quaerebat, dicendumne esset ad Piraeea an in Piraeea, Piraeeum an in Piraeeum, et magna se molestia liberatum fore ait, si hoc ipsi ζητημα perfolvisset. Caesar, qui nec hostem ullum fugiebat, nec maris saeuitiam timebat, sic tanquam scopulum fugiendum censebat verbum insolens et inauditum. Quantum EVRIPIDES, quantum VIRGILIVS, in versibus suis emendandis diligentiae posuerint, GELLIVS et VALERIVS MAXIMVS memoriae prodiderunt. Neque suo tantum iudicio adquiescebant, aut quae sibi satis placuissent, aliis quoque placere posse, persuasum habebant; sed cum ipsi saepius accurata trutina, quae consignarant stilo, examinassent, tum et aliis ad normam exigenda permittebant. Memorabilis est in hoc genere

nere PLINII iunioris induſtria, ut ex multis veterum locis unum tantum producamus. "Primum, inquit, quae ſcripſi, mecum „ipſe pertracto; deinde duobus aut tribus „lego; mox aliis trado adnotanda, notas„que eorum, ſi dubito, cum uno aut altero „penſito; nouiſſime pluribus recito, ac ſi „quid mihi credis, tunc acerrime emendo.„ Res mira ſane videri poſſit tam exquiſita elocutionis cura ei, qui ad animum non reuocauerit, quanto in pretio eloquentia antiquis temporibus fuerit, cuius alis ſubuecta praeclara ingenia ad ſummum in rebusp. faſtigium emergebant, qua veluti frêno illam multorum capitum beſtiam, populum, quamcunque in partem vellent, mirabiliter flectebant, cuius maximus in omni reip. negotio gerendo uſus erat: ad quam adeo comparandam homines honorum cupidi et politici omnes induſtriae neruos intendebant. Falluntur itaque quorum animis, quum de auctore aliquo claſſico cogitant, ſpecies quaedam umbratici de ſchola hominis obuerſatur, qui non niſi minutiis grammaticis occupatus, nihil viro ciuili, aut grauioribus ſtudiis dedito, dignum, in medium adferre poſſit. Non melius confutaretur vana iſta opinio, quam ſi per exempla euntibus de ſingulis eorum oſtendere liceret, aut maximis in rep. honoribus cum ſumma virtutis et prudentiae laude functos, aut certe magnis viris propter

pter eruditionem et ingenii praeſtantiam familiares fuiſſe. Quamquam vero huius loci anguſtia non capit quae de hoc argumento dici poſſent, non tamen mihi tempero, quin, ſpeciminis cauſſa, de CICERONE ſaltem inſigne teſtimonium ſubiiciam. Eſt id eiusmodi: "Aio eſſe primum in eius epiſtolis expreſſam imaginem viri inter paucos „ab omni aeuo maximi; niſi forte mediocris „induſtriae et virtutis eſſe putamus, homi„nem nullis ortum maioribus, in re non ita „lauta conſtitutum, in quem certe nulla „largitionis, aut factionis, rerum Romae „tum potentiſſimarum, cadat ſuſpicio, ſo„lis ingenii atque diligentiae neruis nixum, „inter competitores, aemulos, obtrecta„tores, nobiliſſimos, ditiſſimos, eloquen„tiſſimos, factioſiſſimos, audaciſſimos, „cum primum per leges fieri poterat, ſine „ulla repulſa, conſentientibus omnium „ſuffragiis, a primo inde honoris gradu, „ad eum qui ſummus eſt, peruenisſe; Con„ſulem populi Romani fuiſſe, populi or„bem terrarum, hoc eſt, latiſſimum me„diterranei maris circuitum, et quidquid „eo tempore humanitate aliqua cultum „erat, imperio complexi; hunc autem „conſulatum ita geſſiſſe, ut pater patriae „ab uniuerſis ciuibus, liberis hominibus, „et maledicere etiam auſis, diceretur, ut „iuranti, remp. a ſe conſeruatam, tota in„credibili numero concio alta voce aſſen„tiretur.

„tiretur. Talis ac tantus vir in rep. cum „esset CICERO, qui neque suae, neque „cuiusquam aetatis regi quidquam conce„deret, altius tamen inter doctos atque „eloquentes, quam potentes inter atque „nobiles caput extulit: cui principatum „eloquentiae, diuinae rei, reliquaeque „magnitudinis ipsius, ipso fatente, con„ciliatricis, ita omnis consecuta aetas con„cesserit, ut nihil sapere, qui aliter sapi„unt, videantur, ab insania autem non „procul abesse, si qui cum illo contendere „se dicendo posse arbitrentur.„ *) Simili ratione aliorum etiam scriptorum dignitas ab ignorantiae contemtu vindicari posset, si id nunc ageretur. Ista vel honorum amplitudo, vel cum hominibus in luce et splendore reip. viuentibus consuetudo, ista pacis bellique negotiorum peritia, et quae cum his erant coniuncta, efficiebant, ut, quidquid ab iis scriberetur, cultum, elegans, et perpolitum, rebusque omnino consentaneum esset, et quasi quendam magni

*) Haec in Programmate, quo CICERONIS Epistolas ad diuersos commendabat Germanus meus, IO. MATTHIAS GESNERVS, in Academia Georgia Augusta, quae maioribus quotidie incrementis efflorescit, Eloq. et Poes. P. P. O. a quo si BLACKWALLiVM longo interuallo relictum iri dicam, siquidem hoc argumentum ornandum sibi vellet sumere, nequaquam certe vereor, ne sanguini aut meritis in me fratris optatissimi quidquam tribuisse idoneis iudicibus videar.

gni et excelsi animi characterem impressum haberet. Nihil in eorum libris deprehendas puerile aut adfectatum, aut abiectum et humile; sed sana et naturali pulcritudine decora et dignitatis plena omnia, plane neque talia, ut a quantis auctoribus fuerint profecta, lectori non imperito in procliui sit iudicare. Dicerem et de numeri concinnitate, et quam adcurate Poetae inprimis verba rebus attemperauerint, nisi multi totam illam quaestionem nugatoriam pronunciarent, vitio certe creati iudices, sed quos erroris conuincere difficile est. Qui ad has, quas diximus, auctorum classicorum virtutes intelligendas, perpurgatos exercitatosque sensus habent, ii facile animaduertunt, quanto discrimine distent ipsa veterum exemplaria, et versiones siue graecorum latinae, siue latinorum vernaculae, quae si seorsim spectatae vel optimae et maxime genuinae adpareant, tamen cum ipsis scriptoribus comparatae, omnibus, qui aliquid de his rebus iudicare possunt, longissime ab eorum virtutibus abesse videbuntur: quarum magna pars in delectu et collocatione verborum posita, in alias linguas migrare vix ac ne vix quidem potest. Sed ne quis forte, parum cogitans verborum sono in animis nostris rerum excitari notiones, et hasce esse prouti ista fuerint, meros syllabarum aucupes fuisse scriptores veteres calumnietur; magnam esse eorum prae-

praestantiam; etiam quantum ad res ipsas, quas scripsere, attinet, paucis ostendendum est. Si a scriptura sacra discesseris, non supereſt nobis ulla ratio cognoscendi faciem vetusti temporis, quam diligens horum, de quibus loquimur, auctorum perueſtigatio. Qui populi, quae respublicae, quae regna floruerint, quibus artibus constituta et aucta fuerint, quibus de causſis imminuta et pessundata, quae religionis et literarum, virtutis item et vitii fuerint fata, quos magnos celebresque viros orbis habuerit, quibus modis, quae post fuit rerum conditio, ex iis, quae olim contigerant, paullatim extiterit, breuiter, quidquid memoria dignum et cognitu utile ac neceſſarium olim accidit, non aliunde certius, quam ex his prisci aeui monumentis, intelligitur. Si quis autem a nostris hominibus ea satis explicata existimet, ut non sit opus veteribus chartis impalleſcere, is sane suo sensu fruatur. Verum ut nemo facile probaturus est, qui fabulam peregrinam acturi, vestibus et reliquo scenae apparatu utuntur domesticis; aut pictores, qui rem aliquam remotis saeculis gestam adumbraturi, aedium formam hominumque habitum et oris lineamenta, cetera, ad nostri temporis speciem conformant: sic recentiorum scriptorum, quas de rebus vetustis contexere solent, narrationibus, solidiora ingenia, quae natiuam et genuinam rerum omnium

omnium imaginem quaſi coram intueri cupiunt, haud temere contenta erunt: quod multa in antiquorum libris occurrunt, quae ne peritiſſimi quidem artifices ſermone vernaculo ſatis exprimere queant. Omitto iam dicere quem uſum in vita ciuili, adminiſtrandaque rep. in morum item doctrina, ſi BLACKWALLIVM audiamus, praebere queant, qua de re non dubitabit, qui hiſtoriae omnis utilitatem perſpexerit, et praeſtantiſſimos, qui unquam vixerint, hiſtoricos veteres illos fuiſſe, ad quorum virtutes, quo propius iuniores acceſſerunt, eo melius rem geſſiſſe, cogitauerit. Illud vero hoc loco tacendum non eſt, quod ſine horum ſcriptorum praeſidio multa in ipſis ſcriptoribus ſacris aut non ſatis intelligi, aut ex illis certe egregie illuſtrari poſſint. Neceſſe eſt enim utique libros, tanto a noſtra aetate interuallo ſcriptos, propter Geographiae et Hiſtoriae veteris, morum, rituum, conſuetudinum, opinionum olim receptarum, et ſi quae ſunt his gemina, ignorantiam, intellectu non facillimos, et ſubſidiis adeo idoneis ad eos interpretandos opus eſſe. Ac videntur ſane non ſine numine, ſingularique Dei prouidentia, per tot caſus atque diſcrimina rerum, ad noſtram usque aetatem ea ipſa de cauſſa propagati veteres illi auctores, quo diuinis libris miniſtrarent quodammodo et ancillarentur. Quum infauſtis ignorantiae tenebris

bris

bris orbis Christianus premeretur; et ſuperſtitio primas ubique teneret; animadueꝛſum eſt veritatis luce denſam illam barbariei noctem non fuiſſe prius diſſipatam, quam bonarum literarum aurora, protractis ex Bibliothecarum angulis ſcriptoribus antiquis exorta, laetiſſimis omnibus diem annunciaſſet: quid quod non praeambulam tantum ſacrorum inſtaurationis fuiſſe priſcae eruditionis renouationem, ſed multum omnino adiumenti ad eam attuliſſe, ac ſine hac ne futuram quidem iſtam fuiſſe, ſuperioris aeui hiſtoria teſtatur clariſſime, et eruditiſſimus quisque ultro fatetur. Quin et reliquam doctrinam omnem ibi maxime exſplendeſcere, et oculos animosque hominum ad ſe conuertere, ubi antiquis illis plurimum honoris tribuitur, et, quantum ſatis eſt, ſtudii impenditur, nullo aut paruo negotio, qui volet, poterit cogноſcere. Non abhorrere viſa ſunt mihi, quae hactenus ſtrictim diſſerui, ab hoc tempore, quo publicae orationes, quibus, poſtquam per hosce dies producti in conſpectum Magnifici Scholarcharum Ordinis adoleſcentes, qui in hoc Lyceo bonis literis operantur, exploratique profectus eorum fuere, coronis huic ſolennitati ſcholaſticae imponetur, rite ſunt indicendae. Ac VIR quidem SVMME REVERENDVS, CHRISTOPHORVS LVDOVICVS HARTMANNVS, THEOL. D. ECCLESIARVM ROTENBVR-

BVRGICARVM ANTISTES, *otium, voluptates ac nimiam corporis curam, monstra Nymphis aquaticis ac Sirenibus* (Wasserleuten, Wasserfrauen, Wassernymphen, Neckers) *similia fugienda esse* docebit. Nos vero *de Scriptoribus, qui de iuuentutis educatione et rei scholasticae constitutione egerunt*, uti altero abhinc anno coepimus, pergemus exponere. Postremo IOANNES DAVID vom Berg, reip. alumnus, *Desiderii Erasmi Roterodami memoriam renouabit.* Cui festo conuentui die XVI huius mensis, paullo post horam a meridie primam habendo, ut Proceres Reip. Magnifici, reliqui omnium ordinum viri praestantissimi, suis quisque meritis titulisque fulgentissimi, omnesque adeo, qui literatorum nomine ornantur, frequentes interesse, et linguis animisque fauere velint, demisse atque decenter singulos rogamus atque obtestamur.

## IX.

## Occasio facile discendi.

Solent plerumque homines, quorum paratam sibi copiam vident, quaeue sine magno labore molestiaque possunt nanciſci, fastidire atque contemnere; contra vero

vero; quae parcius se offerunt; quae difficiles aditus habent, quae multo sudore constant, ipsa difficultatis raritatisque specie animorum cupiditatem irritante, admirari et concupiscere ardentius. Non male Satyricus, in alio quidem argumento,

Nolo, quod cupio, statim tenere,
Nec victoria mi placet parata.
Quicquid quaeritur optimum videtur.

cap. LIII.

Huius moris dicam, an morbi? quum multa quotidie exempla cernamus, tum in literarum etiam studiis omni tempore sic accidisse comperimus; ut quo facilior esset discendi occasio, eo maiori plerique hominum, qui studiosorum nomen affectabant, torpore languerent; quo pluribus contra impedimentis obseptum esset ad doctrinam iter, eo vehementiori impetu, maiorique nisu, praeclara ingenia illud ingrederentur. Quis ignorat antiquissimis temporibus non nisi pauca fuisse praesidia, quibus homines eruditionis cupidi, et quodam cognitionis atque scientiae amore inflammati, uti poterant? Et vel sic tamen numero satis magno reperti sunt, qui omni labore contemto, omni vitae suauitate relicta, omni opum cura abiecta, longinquis susceptis itineribus, id operam darent unice, ut animum suum scientiae auidum hac una dulcedine explerent satiarentque. PYTHAGORAS, HERODOTVS, PLATO, EVCLIDES MEGARENSIS;

SIS, DEMOSTHENES, ne plures commemorem, exemplo esse possunt, quanto studio magnae animae ad ea, quae pulchra iudicarent, perruptis omnibus difficultatum repagulis, consequenda incumbere consueuerint. Neque barbaris illis, quae Imperii Romani veteris interitum consecuta sunt, temporibus defuere, qui in densa rei literariae caligine, inter multas viarum salebras atque offensas, ad doctrinae lucem eniterentur, et quo plus sibi remorae sentiebant obiici, eo validius, ut erat consentaneum, aduersus contraria omnia obluctarentur. Quum deinde sub saeculi Christiani decimi quinti finem, initiumque sequentis, bonae literae passim renascerentur, quantum laboris et operae susceperint viri praestantes in linguis eruditis addiscendis, omnique reliqua eruditione comparanda, vix hodie cogitatione assequimur. Graecae linguae, ut hoc utar, qui penitus cognoscendae commemorabili animi ardore se totos traderent, magnus erat numerus, quum tamen subsidia ad eam rem necessaria non haberent in promtu, nisi forte pauciſſima, libros veterum auctorum vitiose editos, neque ulla interpretatione latina, neque annotationibus illustratos, grammaticos libellos fere macilentos, verborum commentarios, quos Lexica vocant, valde imperfectos. Iam, ut contrarii quoque moris exempla afferamus, ubi

ubi maior Philoſophorum Rhetorumque copia, maiorque adeo diſcendi opportunitas, quam Athenis fuit? Et tamen, CICERONE teſte, nemo Graecorum iis ſtudiis minus operae impendit, quam in ea urbe nati. Medio aeuo, quum omnis propemodum eruditio intra monaſteriorum clauſtra contineretur, neque alibi temere eius, pro ratione illius tempeſtatis, adipiſcendae praeſidia, doctores, otium, bibliothecae, praemia, inuenirentur, tamen longe minus ignaui ventres iis uſi fuerunt, quam quis fieri debuiſſe credat. Et quam breui, quaeſo, tempore durauit is, quem diximus, graeca diſcendi ardor. Quo plures melioresque bonorum auctorum editiones, quo comtiores verſiones, quo libri grammatici meliores, quo Lexica pleniora, quo plures doctorum hominum obſeruationes prodibant in lucem, eo magis eum exſtingui, publica ſane querela fuit. Non morabor diutius in iis commemorandis, quae longius a noſtris rationibus abeſſe videntur: ad ea potius veniam, quae in ludis noſtris literariis contigiſſe, et adhuc hodie contingere animaduertimus, et ex quibus idem, quod ab initio diximus, apparere poteſt volentibus. Mos erat patrum auorumque noſtrorum memoria, quod nemo ignorat, pueris, qui rudimentis latinae graecaeque linguae inſtituendi erant, in manus tradere libellos ea ipſa lingua con-

ſcriptos, quos aerumnabili labore magiſtri explicare, et intelligendos pueris propinare, diſcipuli vero ediſcere et ad uſum transferre cogebantur. Quum vero nimis non ſolum difficile, verum etiam abſurdum videretur, in lingua ignota docenda diſcendaque inſtrumento etiam uti ignoto, et quodammodo inhabili, lingua vernacula proponi coepta eſt Grammatica, eiectis etiam plerisque, quae in eam illata erant, Philoſophorum propriis quibusdam vocabulis, eaque ratione cum docentium tum diſcentium ſtudia vehementer leuata. Nam quum antea animi attentio in verborum et rerum curam fuiſſet partienda, nunc in rebus tantum defigenda maior adhiberi poſſe videbatur, et ad ea, quae tradebantur, animo comprehendenda efficacior. Sed plane diuerſum videtur accidiſſe eius, quod intendebatur. Imminuta eſt enim attentio diſcentium, ipſa intelligendi, quae putatur, facilitate, et fortaſſe magiſtri etiam minus ſtudii in explicando adhibendum cenſuere. Itaque experientia videtur docere, non multum ea ratione profectum eſſe. Ac traxit praeterea uſus ille linguae vernaculae ſecum aliud quoddam incommodum, ut aures tironum minus, quam olim, latinis vocibus circumſonent, et omne illud tempus, quod grammaticis praeceptis recitandis tribuendum eſt, latini ſermonis exercitatione vacet. Qua ex re

fit,

fit, ut paullo ſerius eum pueri cognoſcant, niſi, quod hoc modo iacturae faciendum eſt, alia ratione ſarciatur. Aliud diſcendi impedimentum ſublatum eſt editionibus veterum auctorum procuratis eiusmodi, quibus ad eos intelligendos multum iuniori-bus adiumenti afferatur. Haud pauca occurrere paſſim in ſcriptoribus priſcis, qui in ſcholis legi ſolent, obſcura et peritum requirentia interpretem, ſiue propter rituum, conſuetudinum, opinionum peregrinitatem, ſiue propter reconditam dictionis naturam, ſiue propter inueteratas in vetuſtis exemplaribus mendas, ſiue alias ob cauſſas, nemo harum literarum peritus ignorat, et fere quo quis eſt doctior, eo plura animadueršione digna deprehendit. Iam quum editiones eae, quibus haec dilucidantur, magno pleraeque pretio conſtent, et a paucioribus pollint comparari; quum porro plerique, qui ſcholis praeficiuntur, alia omnia, quam hoc egerint, ut literas humaniores quantum ſatis eſt colerent, facilis eſt coniectura, quam arduus, et ſaepe tamen irritus, labor ſubeundus fuerit iis, qui ſpartam ſuam ornare cuperent, magiſtris pariter atque diſcipulis, ut ne omnino nihil aut illi extricaſſe, aut hi profeciſſe viderentur. Huic malo afferre medelam coepere viri quidam eruditi, qui libros aliquot bonae notae ita explicatos dederunt annotationibus praeſertim germanicis, ut

ſi quis ingenio diligentiaque uti voluerit, magnos ex iis fructus capere queat, nec praeterea multum deſiderare debeat, niſi forte huic ſtudiorum generi ſe totum tradere velit. Verum praeclara illa praeſidia paucorum excitare induſtriam, quamplurimis contra languorem et in diſcendo ſocordiam afferre, quotidie experimur. Eiusmodi enim editionibus auctorum inſtructi, nec magiſtrum nec commilitones verſionem praeeuntes auſcultandos ſibi putant, et hoc cortice natare ſe poſſe confiſi, deſidiae voluptatique obſequuntur ſuae, animumque ubiuis potius quam in libro habent, per notos omnes angulos cogitatione peregrinantes. Poſt ubi et ipſi interpretari unam alteramue periodum iubentur, ibi vero ſurſum deorſum torquent oculos, ac dum ſimul et auctoris verba interpretari, et ex ſubiectis annotationibus, quae iis intelligendis ſunt accommodata, furtim ſublegere conantur, neutri ſufficiunt operi, et ſaepe deterius rem gerunt, quam ſi librum purum in manibus habentes animi vim colligere, et lectioni, ut par eſt, intendere vellent. Inde fere fieri ſolet, ut familiaritate veterum ſcriptorum, in quam ſeſe inſinuare eruditionis cupidi omni ſtudio debent, perpetuo excludantur, multorumque annorum ſpatio vix mediocrem latinae linguae notitiam conſequantur: quod quidem vetus malum eſt, ſed videtur tamen

gliſcere

gliſcere indies; et, quandoquidem tot praeſto ſunt ſubſidia, minus excuſate peccatur. Iam quis illud non miretur, quum nullo tempore tantum curae impenderint, viri humanioris literaturae periti, linguae latinae nitori ſuo reſtituendae, et vocabulis locutionibusque barbaris atro carbone notandis, et in commentarios indiculosque referendis, ut caſtitatem puritatemque ſermonis romani conſeruare ſit multo, quam olim, expeditius: tamen non ſolum raros hinc inde nantes in gurgite vaſto reperiri, qui iis praeſidiis grati utantur; ſed et plures, quam unquam alias, qui ea contemnant, et totum illud ſtudium cauillentur et ludibrio habeant. Neque vero iis tantummodo, quae ad linguam latinam minori labore diſcendam comparata ſunt adiumentis, male plerique utuntur; ſed et reliquis docendi diſcendique compendiis ferme omnibus, quae quidem perſequi nunc non vacat. Sed unum tamen quo minus adiiciam facere non poſſum. Non amplius, ut olim plerumque moris erat, coguntur adoleſcentes totos libellos, ſiue omnino non ſiue male intellectos, memoriae mandare: Sed curant boni magiſtri, ut obſcura et inuoluta explicent, exemplis illuſtrent, aptis idoneisque interrogationibus faciliora intellectu efficiant, et aſſuefaciant adoleſcentes, ut ſuis verbis ad quaeſita reſpondeant, grammaticae ſpeciatim praecepta

euoluendo ſaepius ac repetendo inculcent, eaque omnia faciant, quibus leuari ediſcendi moleſtia poſſit. Sed inuenit hic etiam puerilis leuitas et deſidia, qua ratione bonam methodum eludat. Reperias enim haud paucos, non peſſimis caetera praeditos ingeniis, qui non decies, ſed vel centies repetita praeteruolare ſinant aures ſuas, vel mentes potius, quae hodie neglexere, cras reparare ſe poſſe ſperantes; vel etiam, quae aliquoties audierunt, etiamſi nondum teneant memoria, nondum ad uſum applicare norint, faſtidire, tanquam nota, incipiant: qua re fit, ut longe maius temporis ſpatium conſumant, dum eo perueniant, quo breui accedere poſſent, ſi ſemel iterumque explicata priuata induſtria animo conarentur affigere Scilicet accidit in ea re, quod in machinis ſolet, quarum ope paruae vires magnum onus attollere queunt, ut eo tardius perficiatur motus, quo facilius. Adeo verum eſt, nullum eſſe commodum, cui non adiunctum ſit aliquod incommodum. Nunquid igitur, inquiat aliquis, vis tu veterem morem in Scholas reduci, ſiquidem multum mali cum noua iſta ratione coniunctum eſſe diſputas? Deus et bona mens prohibeant a me inſaniam iſtam. Illud potius ex his, quae dicta ſunt, confici volumus, non eſſe, cur quis exiſtimet, adoleſcentiam ſine diligenti animi aduerſione, ſine aſſiduo labore, ſine ſudore

fudore quodam, auxilio huius modi adminiculorum ad earum rerum, quibus erudiri haec aetas debet, cognitionem posse peruenire; sed nihilo minus, quam si per antiquum iter incederetur, eam omnibus rationibus permouendam, omnibus stimulis incitandam, ut bona studia tota mentis vi amplectatur, animique leuitatem, et nescio cuius spei vanitatem, exuat, illudque inprimis in pectus suum alte demittat, nisi bene moratos, dociles, attentos, constantes se praebeant docentibus, nisi quae semel percepere assidue ruminentur, secumque ipsi retractent et recogitent, vel praestantissima adiumenta, scitissimamque methodum, adde et peritissimos praeceptores, nihil omnino ipsis prodesse posse. Haecce praefari non abhorrens visum est nobis ab huius temporis solemnitate, quo post consueta curiarum examina orationes publice habendae veteri more indicendae sunt. Fiet id die crastini qui erit XVIII April. in Auditorio Gymnasii, hora post meridiem prima. Ac primum quidem VIR SVMME REVERENDVS, CHRISTOPHORVS LVDOVICVS HARTMANNVS, SS. TH. D. ECCLESIARVM ROTENBVRGENSIVM ANTISTES VIGILANTISSIMVS, CONSISTORIALIS ET SCHOLARCHA LONGE GRAVISSIMVS, qui postquam ante aliquot lustra modo de fructuosa Rabbinorum eorundemque פירושים lectione modo de Talmude disseruit, orationem

tionem inpraesentiarum *de Targumim* habere apud animum suum decreuit. Tum Rector *de vastissimo rei literariae hodiernae ambitu* breuissime differet. Tandem IOH. ANDREAS KRAVS, Rotenburgensis, *de male sana curiositate in literis fugienda*, quam dicendi materiam ipse sibi sumsit, perorabit. Rogamus igitur et obsecramus *Magnificos*, *Praenobilissimos*, *Amplissimosque Reip. Proceres*, et omnes omnium ordinum eruditos, ut ad breue temporis spatium dicentibus adesse, et, spectabili exoptatissimaque praesentia sua, cum suam studiis nostris beneuolentiam testari, tum adolescentiae animos ad decus et laudem excitare ne grauentur.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, a. d. XVII. April. CIↃIↃCCXXXVIII.

## X.

## Historiae Gymnasii Rotenburgensis Particula Prima.

Quam ex reliquis historiae partibus, in suo quisque vitae studiorumque genere, utilitatem capere potest, eam ex scholarum quoque historia, ad illos inprimis, quibus idonea adolescentiae institutio curae cor-

cordique est, redundare, si recte prudenterque scripta sit; nemo rerum peritus temere ibit infitias. Hanc autem laudem merebitur, si diligenter exponat, quae magistrorum fuerint ingenia, quae eruditio, docendi methodus, disciplinae ratio, quae consiliorum de re scholastica recte administranda inter eos communicatio, quae parentum in filiis educandis consuetudo, qui discipulorum mores ac indoles, quae docentium ac discentium siue hortamenta; siue impedimenta, cum priuata, tum publica, quae studiorum subsidia, quae ex his omnibus ortae rerum vicissitudines, et secunda siniſtraue hominum iudicia, et si quae sunt his similia.

Sed fatendum est, difficile esse hanc viam in historia scholarum scribenda sequi, quum plerumque idonea monumenta desint, ex quibus necessaria notitia hauriri queat; saepe etiam iustae causſae prohibeant, quo minus in lucem adspectumque hominum, ea quae praesto sunt, proferre liceat. Sic fit, ut parum utilitatis adferat scholarum aliquot, quam habemus, historia *), ad eum quidem finem adipiscendum, quem,

*) Godofredi Ludouici, V. Cl. Historiam Rectorum, Gymnasiorum, Scholarumque celebrium, respicimus, quae tamen nec ipsa alia laude sua defraudanda est. Talis fere, qualem optamus, est Phil. Iac. Crophii, V. Cl. Historische Erzehlung von dem Ursprung, Einrichtung und Schicksaalen des

quem; qui iuuentutis vacant institutioni; propositum habent. Sed qualiscunque tandem ea fuerit, erunt certe aliqui saltem, qui malint vel nuda originis, personarum, temporisque notatione contenti esse, quam omni omnino earum rerum cognitione carere. Itaque de huius quoque urbis Gymnasio, quae comperta haberem, narratione breui complecti decreui, eaque scriptione rem non ingratam me facturum speraui iis, qui rerum patriarum inuestigatione delectantur; tametsi eam in multis mancam et mutilam futuram non ignorem.

Multo ante, quam puriorem doctrinam Lutheri opera instauratam urbs nostra amplecteretur, praeter eum, qui cantum in sacris celebrandis moderabatur, et pueros elementis pietatis et literarum imbuebat, unum aliquem constitui moris erat; qui latinam linguam et artium rudimenta publice doceret: quorum vix ulla memoria extat. Non tamen praetermittendus videtur M. GE. KERGELIVS, qui 1539 Ingolstadio huc vocatus est, ut adolescentes, qui Donatum iam didicissent, ad ampliorem latinae linguae facultatem, artesque et disciplinas des Gymnasii zu St. Anna in Augspurg, operis maioris breuiarium, quod si perficere et in publicum proferre licuisset Autori, perfectum, ut arbitror, historiae scholasticae exemplar habituri fuissemus. Praeclara illa, quae Conringius, Launoius et Keuffelius dederunt, alius sunt instituti.

plinas liberales, pietatem item, bonosque et decoros mores ac virtutes informaret, ut deinceps in Academiis minori sumtu ad maiora grauioraque studia progredi possent: ut ipse in pacti conuenti formula (Pactbrief) testatur. Addixerat is operam suam Senatui A. in tres annos, ut eius temporis consuetudo ferebat, qua non in perpetuum, sed ad certum tempus locari conducique opera docentium *), qui ciues, opinor, reip. non essent, solebat, sed statim anno sequente rogatu suo dimissus, Straubingam, simile munus obiturus, discessit. Quum deinde meliora sacra apud nos recepta fuissent, de schola etiam amplificanda, atque instructiore bonarum artium officina aperienda, cogitari coeptum est. Rerum enim experimentis, non sine multa molestia, paullo ante didicerat Senatus huius urbis amplissimus, quam rari inuenirentur, qui ea rerum sacrarum scientia pollerent, ut coetibus sacris cum fructu aliquo praefici possent. Itaque deliberatum est, quomodo adolescentes iis omnibus, quae Academiam adituros scire oportet, sic erudiri apud nos possent, ne necesse esset, aut peregre eos in scholam aliquam ablegare, aut ecclesiarum ministros, quibus urbi aut agro Reip. opus esset, aliunde

*) Sic Wesenbecius, Prof. Ienensis, in sex annos operam suam Academiae addixerat. Salig. H. A. C. P. III. p. 584. et alibi alia exempla occurrent.

aliunde arceſſere. Ac primo quidem, a facta ſacrorum apud nos repurgatione, decennio haud ſatis feliciter procedebat negotium; ſiue quod ii, quibus docendae iuuentutis ſparta committebatur, ſatis eruditi et idonei ad id munus non eſſent; ſiue quod ob crebras docentium mutationes res ſcholaſtica conualeſcere non poſſet. Plures enim paruo illo temporis ſpatio ſcholae praefecti fuerunt, qui omnes uno alteroue anno elapſo aliorſum abierunt. Poſtremus eorum erat IOHANNES WESELIVS, quem D. IVSTVS IONAS, ut ſcholae urbis noſtrae de viro erudito proſpiceret rogatus, commendauerat; eumque, graece latineque doctiſſimum, filii inſtar a ſe diligi, ac MELANCHTHONI quoque, ut diſcipulorum diligentiſſimum, inprimis carum eſſe teſtatus fuerat. Is anno 1553 huc acceſſit, ac ſine mora, quo pacto conſtituenda ſibi res ſcholaſtica videretur, ſcripto conſignauit. Sed quum conſilia ſua non omnibus approbaſſet, neque ipſe ad alienum praeſcriptum docendi rationem inſtituere vellet, ac praeterea cereis mortualibus (Todtenkertzen) ex aede ſacra petulanter ſublatis, diſcipuli quidam eius, qui ritum iſtum, occaſione libri Interim reductum, a praeceptore ſuo, ut coniectura eſt, damnari audiuerant, eius inſtinctu locum ſacrum violaſſe crederentur, poſt unius anni decurſum dimiſſus eſt. Succeſſorem is habuit ABDIAM WICK-

WICKNERVM, Norimbergenſem, diſciplina SERALDI HEYDEN formatum et expolitum, virum bonum et doctum, qui nihil territus multis magnisque, quos ſuſtinere cogebatur, laboribus atque moleſtiis, renouata ſubinde cum Sen. A. pactione, ſtationem ſuam ad obitum usque conſtanter tuebatur. Ei conſtituendae ſuo iudicio rei ſcholaſticae curam commiſſam eſſe, ex libello, quem Sen. A. obtulit, ex quo excerpta quaedam ſtatim dabimus, manifeſtum eſt. Coetum igitur puerorum in quatuor Claſſes, pro numero, qui tunc erat, docentium, diſtribuit, legesque ſcholaſticas, et catalogum docendorum diſcendorumque conſcripſit, quibus Sen. A. robur et auctoritatem addidit. Atque ab eo inde tempore Schola Rotenburgenſis ſtabilem ſcholae bene ordinatae formam perpetuo ſeruauit. Erant autem penſa ſingularum Claſſium eiusmodi.

In quarta ſeu ultima, Cantori commiſſa, diſcebatur legendi et literas mediocriter formandi ratio. Item bina ſingulis, exceptis Mercurii et Saturni, diebus, latina vocabula, addita verſione germanica, in tabula proponebantur, poſtero die a pueris repetenda. Ea porro in ſingulari libello conſcribere, et Cantori inſpicienda exhibere die Saturni iubebantur. Mercurii et Saturni diebus fundamenta chriſtianae religionis germanice recitabant.

Tertiae classis praecipuum munus declinandi et coniugandi ratione continebatur. Donati praeterea, et elementorum latinorum christianae religionis, dialogi alicuius, et versiculi quotidiani, ex Catone aut mimis P. Syri depromti, tabulae inscripti, interpretationem pueris praeibat Baccalaureus, et postero die a discipulis exigebat. Nomina et verba in his occurrentia hectere, versusque in libello singulari conscribere eos iubebat. Die Sabbathi Euangelium sequentis diei explicabatur.

In secunda, Grammatica minor Ph. Melanchthonis, Praecepta ciuilitatis morum Erasmi, Paedagogia Mosellani, Prouerbia Salomonis, Fabellae Aesopicae, Catechismus latinus, Euangelium in sequentem diem dominicam, versiculus porro quotidie unus, aut sententia aliqua, germanicis verbis prius reddita, eadem propemodum ratione pertractabantur, qua pensa tertiae classis, nisi quod regulae Syntaxeos addebantur. Die Sabbathi scriptum aliquod, in tabula per hebdomadem germanice propositum, latine conuersum offerendum erat.

In prima, Grammatica latina Melanchthonis maior, et a praeceptore et a discipulis exposita prius germanice, memoriter recitabatur. Aeneis Virgilii, Terentius, Epistolae Ciceronis, item Catechismus Phil. Melanchthonis praelegebantur. Fundamenta

damenta linguae graecae tradebantur. Euangelii die dominica pro concione explicari soliti textus graecus pertractabatur. Versus aliquot graeci in tabula proponebantur, in singularem libellum referendi, & Ludimoderatori, una cum reliquis omnibus, quae per totam hebdomadem annotauerant, exhibendi. Die Saturni exigebatur scriptum, aut e germanico latine versum, aut ab ipsis discipulis commentatum. Musicae una quotidie hora tribuebatur.

Vix anni duo ex eo tempore, quo haec constituta sunt, elapsi erant, quum graues passim querelae de corrupta re scholastica audiri coeperunt. Criminabantur multi, scholae magistros esse homines ineruditos, minime ad docendum aptos et negligentes officii: Vnde fieri, ut adolescentes parum in literis proficiant, et spes parentum destituantur. Quin ipsa literarum studia esse inutilia, religioni noxia, et ad decipiendos homines inuenta. Itaque senatus amplissimus medelam rebus allaturus, WICKNERO librum a Michaele Toxite editum, in quo ludi literarii recte aperiendi ratio ostenditur, tradi, monerique eum curabat, ut scholam ad eius viri praescriptum emendaret, et vitiosa corrigeret. Ea re necessitatem sibi impositam videbat WICKNERVS, libello senatui A. exhibito, diluendi, quae ipsi collegisque eius obiiciebantur, et, qua ratione ex ipsius sententia, in melius reformari

mari res ſcholaſtica poſſit, demonſtrandi: Argumentum eius libelli hoc fere eſt. Cupere ſe omnino, quod Magiſtratus A. iuberet, exſequi, ſed impedimenta grauia obſtare, quo minus rem proſpere ſucceſſuram ſperare poſſit. Ea ut cognoſcat Sen. A. velle ſe totius rei ſcholaſticae rationem ob oculos ponere, et quo pacto emendari corrupta poſſint oſtendere. Propoſitis deinde accuſationis, quae modo attulimus, capitibus, ad ſingula reſpondet. Non eſſe ſe collegasque ſuos homines eruditiſſimos, ſed tamen ipſius A. Senat. iudicio, puerorum inſtitutioni, in ſuo quemque ordine, ſufficere. Plerosque vulgo de tota iuuentutis inſtitutione iudicare imperitiſſime et iniquiſſime. Exiſtimare in ſolius magiſtri poteſtate eſſe, ut diſcipuli in literis proficiant, adoleſcentem etiam nullius ingenii, a ſtudiis abhorrentem, contumacem, male moratum, unius duorumue annorum ſpatio eo perduci poſſe, ut vel doctoris inſignia capere poſſit. Hoc ſi non fiat, in praeceptores omnem culpam conferri, et tanquam indoctos, negligentes, agreſtes eos accuſari. Quosdam diſcipulorum eſſe plane ad ſtudia ineptos, belluinis praeditos moribus, neque verbis, neque verberibus corrigendos, veras commilitonum ſuorum peſtes. Quosdam mediocri bonitate ingenii, ſed praua educatione, indulgentiaque parentum corruptos. Hos ſi ſe-

ueriore

ueriore diſciplina coercere velis, non minus id parentibus, quam filiis dolere. Itaque contumeliis, conuiciis, calumniis, indigniſſimis onerari ab iis praeceptores, idque audientibus pueris, quos etiam aduerſus iſtos concitare ſtudeant, unde fieri, ut ſtudia pariter ac praeceptores odiſſe incipiant. Eſſe etiam, qui per ſcholas plures vagentur, non diutius in ulla earum, quam hoſpites in diuerſorio, commorantes, qui non diſcendi, ſed peregrinandi cupiditate ducantur. Eſſe, qui deſertis ſtudiis ad aliud vitae genus ſe applicent, unde plus emolumenti ad ſe peruenturum opinentur. Sed non deeſſe tamen paucos quosdam probos et diligentes, qui muneribus publicis cum fructu aliquando praeſint, idoneos futuros. Remedia his malis adhibenda ſe putare huiusmodi. Diligenter homines a paſtoribus pro concione eſſe docendos, quanta ſit rectae, honeſtae, ſeueraeque educationis neceſſitas, quanta linguarum artiumque utilitas, ac ſine his praeſidiis neque politiam neque eccleſiam ſaluam eſſe poſſe. Docendos eſſe porro, nullum in literis intempeſtiuae feſtinationi locum eſſe, ſed plus, quam vulgus intelligat, operae, laboris, diligentiae, temporis, tum a docentibus, tum a diſcentibus, in ſtudiis ponendum. Hortandos item, ut caueant, ne, quae ſunt ſummo honore digna, palam contemnant, et in magiſtris publicis

fideliter alacriterque docendi, in ſuis vero diſcendi voluntatem, ſi qua ſit, penitus extinguant. Idem a Magiſtratu eſſe publice edicendum, curandumque, ut eccleſiarum ſcholarumque Miniſtri debito honore afficiantur, ac liberalius paullo ſuſtententur. Aliter fieri non poſſe, ut literarum ſtudiis conſtet vulgo pretium ſuum, et adoleſcentes ad ea diligenter colenda allicientur. Tandem quaenam, et qua methodo, doceantur in ſingulis claſſibus, repetit, ut appareat, non ea parte latere vitium, ſed in iis, quae ante dixiſſet. Neſcio, quam vim hoc ſcriptum in animis eorum, quibus oblatum fuit, habuerit. Sed ſatis WICKNERVM *) ſeſe purgaſſe inde coniici poteſt, quod, tametſi anno ſuo exacto ſine iniuria dimitti potuerit, tamen non alius ei functionis, quam qui vitae, finis fuit.

Plura, hoc quidem tempore, perſequi chartae huic tabulae deſtinatae anguſtia prohibet. Faciendum enim nunc eſt, cuius cauſſa eam edimus, orationesque, quibus examini adoleſcentiae ſcholaſticae per hoſce dies inſtituto finis rite imponetur, indicandae ſunt. Dicet autem VIR SVMME REVERENDVS, AVGVSTINVS MICHAEL RüCKERVS, ECCLESIARVM ROTEN-

*) Edidit Wickn. Catecheſin lat. it. Tabulas aſcenſionum obliquarum etc. Tubingae, 1561, in 4to. 7. pl.

ROTENBVRGENSIVM SVPERINTENDENS VIGILANTISSIMVS, CONSISTORIALIS ET SCHOLARCHA GRAVISSIMVS, *de formanda in Scholis pietate.* Nos, *quam praeclare Germani de omni literarum artiumque genere meriti sint*, ostendere conabimur. Tandem GEORGIVS CONRADVS Zierlein, Reip. Alumnus, Iuuenis cumprimis industrius, *de fructibus ex humanitatis studiis capiendis*, quod dicendi argumentum ipsi sibi delegit, breuiter disseret. Quam solennitatem scholasticam, ut Proceres Reip. Magnifici, et quicunque literarum amore ducuntur, suis quisque titulis meritisque condecoratissimi, exoptata sua praesentia cohonestare, et accendere iuuentutis animos exemplo suo ne dedignentur, ea, qua possumus ac debemus, obseruantia et humanitate petimus atque contendimus.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, a. d. XXIX. April.
CIↃIↃCCXXXXV.

# XI.

## Rerum ad Hiſtoriam Gymnaſii Rotenburgenſis pertinentium Particula ſecunda.

Perſequi animus eſt, coeptam ſuperiore anno narrationem de rebus ad Hiſtoriam Gymnaſii noſtri pertinentibus. Dicebamus poſtremo, quae, paucis poſt rem ſcholaſticam conſtitutam annis, de eadem vehementer corrupta querelae audiri coeperint, et quomodo WICKNERVS, libello Senatui A. exhibito, ſuam collegarumque cauſſam egerit. Proximum eſt, ut videamus, qua ratione caueri poſſe crediderit, ne officii negligenter adminiſtrati a plebe hominum acculari in poſterum iure poſſent. Rogabat nimirum ſuo collegarumque nomine Sen. A. ut duos viros eruditos deſignaret, qui ſaepius ſcholas viſitarent, ac diſciplinam ſartam tectam conſeruarent, quos teſtes habere diligentiae ſuae, ad quos querimonias deferre, a quibus conſilium petere poſſent, ſi quid opus eſſet, ne magiſtratum quauis leui de cauſſa adire neceſſarium eſſet. Annuit non ſolum Sen. A. his precibus, atque eam prouinciam anno CIↃ ↃLVII, d. I. Dec. mandauit duobus

bus ordinis Senatorii viris nobiliſſimis, IOHANNI WINTERBACHIO Seniori, et IOHANNI WALTHERO, quibus adiunxit WILHELMVM MÖGLINGIVM, Tubingenſem, Medicinae Doctorem: Sed etiam de aliis rei ſcholaſticae recte conſtituendae conſiliis ſolicitus fuit. Commodum enim anno CIↃIↃLVIII exeunte accidit, ut celeberrimus Eccleſiae Wirtembergicae Theologus, IACOBVS ANDREAE, Rotenburgum veniret, inuitatus a Sen. A. ut ſuam Reipublicae operam prudentiamque in componendis ordinandisque rebus eccleſiaſticis commodaret. Is igitur, ut etiam de re ſcholaſtica ſententiam diceret, rogatus eſt. In conſilio itaque ſuo, quod literis conſignatum exhibuit Sen. A. haec fere monuit. Inquiſitione facta, deprehenſum eſſe, quam indocti paſtores populo praeſint, quippe qui ne fundamenta quidem doctrinae, quibus aeterna hominum ſalus innititur, cognita habeant, adeoque ad docendos alios ſint parum idonei. Iam quum pretioſior ſit immortalis unius hominis anima, quam perituraе totius orbis terrarum opes, nullis omnino ſumtibus parcendum eſſe in recte aperiendo literarum ludo, in quo adoleſcentes ſic formari erudirique poſſint, ut eccleſia et res publica olim habeant, qui eas recte adminiſtrent. Ac primum omnium quidem diligenter prouidendum eſſe, ut non ſolum Magiſter et Rector

ſcholae, ſed collegae etiam eius, ita ſint a literis inſtructi, ut adoleſcentiam cum fructu inſtituere norint, deinde ut honeſtati et modeſtiae ſtudeant, iisque praediti ſint moribus, ut vel exemplo eorum iuniores emendari queant. Horum alterutrum ſi deſit, parum ſalutarem ac frugiferam eorum inſtitutionem futuram. Non poenitere debere Sen. A. ſumtuum, qui idoneis huiusmodi hominibus liberaliter alendis impendendi ſint. Neque enim eſſe ullum genus hominum, quod aerumnabili labore, quem non experti vix digne aeſtimare queant, ſtipendia rectius iuſtiusque mereatur, ſi quidem ea, qua par eſt fide officio ſuo fungatur, quam quod docenda iuuentute animi corporisque vires conſumit. Cumque eo tempore aedes, in quibus ſtudioſa pubes diſcendi cauſſa conueniebat, haud ſatis amplae eſſent, omnesque claſſes cum ſuis Magiſtris in una diaeta conſidere cogerentur, ſuaſit IACOBVS ANDREAE, ut alius ſcholaſticis agendis coetibus locus aſſignaretur, enixeque rogauit Sen. A. ut Monaſteriorum, quae in urbe erant, alterum paedagogio attribueret, *) in

*) Verba IAC. ANDREAE: Wo ich von einem Erbarn Rhat ein ſollich Allmuſen bettlen dörffte, das der Kirchen, gemeiner Staſt u. dero Vnderthonen auf dem Land an zeitlicher und ewiger Wolfart nützlich ſeyn würde, wolte ich gern zu dieſem hochnottwendigen werck e. Clöſterlein bett-

in quo plus esset spatii, quam in aedibus scholae vetustis, ut singuli discentium ordines suum sibi locum seorsim occupare, docentesque, tot puerorum strepitu non impediti, rectius munus suum obire possent. Rationem docendi discendique, quam Magistratus praescripserat, vel a WICKNERO praescriptam confirmauerat potius, eiusmodi esse dicebat, ut, quod in ea corrigat, non inueniat, Illud tantum curandum, ut eam omnes similiter praeceptores sequantur. Laudabat prudentiam Sen. A. qui iam tum Scholarchas constituisset, qui examinibus, promotionibusque praeessent, ac eos discipulorum, qui ad studia satis apti non essent, aliud vitae genus eligere iuberent. Quumque nondum esset eo tempore inter Scholarchas supremus sacrorum Antistes, non inconsultum duxit IACOBVS ANDREAE, id munerisipsi imponi. Ingressus itaque est hanc prouinciam M. IOHANNES

bettlen, welches doch für sich selbst ein Almusen seyn möchte, darinne nicht allein guter Raum seyn möchte zu einem rechtgeschaffenen und löblichen Paedagogio, sondern auch andere lectiones mit der Zeit darinnen angerichtet würden ꝛc. ꝛc. Item. Bitte derohalben einen Erbarn weisen Rhat um unsers Herrn Jhesu Christi willen, sie wollen der Kirchen u. gemeinem Nutzen zu guten Umb eines geringen Steinhauffens willen an Jnen nichts erwinden lassen, damit der kirche zu e. guten fundament und Grund geholffen werde, denn will man der Kirche helffen, muß man warlich bey der Schul anfahen. ꝛc.

HANNES HOFMANNVS, qui tum sacris praeerat, anno CIↃIↃLVIIII, d. XVII. Febr. Ceterum malis illis, de quibus tam acerbe questus erat ABDIAS WICKNERVS, facile medelam afferri posse, eodem, ac ille, modo iudicabat, si plebs, demonstrata ex suggestu sacro, pro meritis, literarum scholarumque dignitate, officii sui diligenter admoneretur. Magnam studiis remoram obiici iudicabat, quod Praeceptores cum discipulis sacris quotidie interesse (zu Chor gehen) consuessent, quod non nisi alternatim ab iis, in certos ordines eo fine tributis, fieri melius esset. Si quae in scholis infimi ordinis, quas germanicas vocant, deprehendantur praeclara ingenia, cum parentibus eorum agendum esse, ut ea literarum studiis operam dare ne prohibeant. Si forte egestate premantur, quauis ratione iis subueniendum. Alia denique consilia suggessit, qua ratione sacrarum literarum studia excitari amplificarique in urbe queant, de quibus, quoniam rem scholasticam non spectabant, nihil iam addimus. Quantum singulae huius consilii partes valuerint, non habeo dicere: Illud certum exploratumque est, Monasterium, quod Monachi Franciscanae familiae ante sacra instaurata obtinuerant, scholae usibus paullo post consecratum, coetumque scholasticum die VIII mensis Nouembris, anni CIↃIↃLVIIII in illud solenni ritu introductum esse. Hodie quo-

que

que supra ostium, per quod olim in Refectorium ingressus erat, legitur inscriptio eiusmodi: *Ex decreto Inclyti Senatus Reipublicae Rotenburgensis ad Tubarim, anno salutis MDLIX. V. D. M. I. AE. Vt quondam Monachis, sic nunc collegia Musis cesserunt, usu restituenda pio.* Quumque adhuc in quatuor, ut diximus, curias distributi essent discipuli, ex eo tempore earum quinque fuisse, et prouectioribus etiam plura, quam adhuc fieri consueuerat, partim a doctoribus extra ordinem constitutis, partim ab ordinariis, publice fuisse tradita, compertum habemus. IOHANNES enim HOFMANNVS, Hallensis, Artium Magister, Ecclesiarum Rotenburgensium Superintendens, explicauit epistolam ad Romanos; D: WILHELMVS MÖGLINGIVS coepit enarrare Aphorismos Hippocratis, cui in eo opere successit D. GEORGIVS HAMBERGERVS, Dinckelsbuhla oriundus; ABDIAS WICKNERVS Erotemata Dialectices Philippi Melanchthonis, et Hesiodi ἔργα καὶ ἡμέρας interpretatus est. Non constat mihi, quos successus inceptum illud habuerit: sed valde verosimile est, paucis annis post conticuisse vocem eorum, qui extra ordinem docuerant. Neque enim post annum CIↃIↃLXIIII, ullam eius rei mentionem fieri inuenio. Quatuor circiter annis in Monasterio Franciscanorum docentium discentiumque conuentus acti fuerant, cum in

vere=

veteres aedes eos reuocare visum est, quas WICKNERVS, *) Rector scholae, etiamnum incolebat. Diuturna enim valetudine affectus domo egredi, viamque satis longam in Monasterium semel iterumque emetiri quotidie non valebat, illudque incommodum rationes scholasticas nonnihil turbauerat. Itaque, ne capite et inspectore totus coetus, discipulique primae curiae magistro carerent, placuit in pristinum domicilium reducere tantisper Musas, quae tamen breui interiecto tempore in nouas sedes, nuper demum iis concessas, remigrarunt. Obiit enim ABDIAS WICKNERVS **) die IV Febr. CIↃIↃLXIV; eique sine longiore mora successit M. THO. BEVTLERVS, Rauenspurgensis, die XX Martii eiusdem anni, commendante, ut videtur, D. IAC. ANDREAE, a quo hominem idoneum Sen. A. viuo etiamnum WICKNERO; die XIX Ianuarii eiusdem anni, per literas petierat, Beutlerus abiit munere, quoniam officium ec-

*) Edidit Wicknerus Tabulam ascensionum obliquarum etc. Tubingae 1561. in 4to. ubi se ipse appellat Scholae Rotenburgensis ad Tubarim Electum, bonarumque artium et Mathematices Professorem publicum. Dedicauit eam W. Mögling, quae dedicatio memorabilis est.

**) Wicknerus nomen Rectoris non habuit, teste Protoc. Consistor. 1558. d. 11. Mart. sed Thomas Beutler dicitur Rector, ibid. 1564. d. 19. Dec. et Merklin. ibid. Posterior catalogum lectionum consignauit in Protocoll. 1565. d. 5. Febr.

ecclesiasticum cupiuit. Consistor. Protoc. 1572. Post illum, anno quidem CIↃIↃLXXII, die IV Martii, Scholae praefectus est CVNRADVS MERCKLINVS, nostras, *qui multifaria sua eruditione, indefessaque diligentia, et quod potissimum est, studio illo verae religionis et pietatis suo ardentissimo tantum effecit, ut bono et honesto cuilibet carus et acceptus esset.* *) MERCKLINVM GEORGIVS BVRCKHARTVS excepit, ex Academia Tubingensi, in qua ultra quatuordecim annos linguas et artes docuerat, a Sen. A. ad gubernationem scholae vocatus. Rotenburgum venit die xxx Maii, **) CIↃIↃLXXV. Is, quod insolens videri poterat eum ex celebri Vniuersitate ad scholae, necdum forsan magnam celebritatem adeptae, gubernacula capessenda discedere, sub auspicium muneris orationem habuit, de caussis mutatae conditionis. Sed quaenam eae fuerint, mihi non constat. Paullo post, ex singulari mandato ***) S. A. Augustanam

*) Sunt verba FRID. RENGERI Syndici Rotenb. in literis ad GE. BVRCKHARTVM Tubingensem, d. XXVII Febr. CIↃIↃLXXV scriptis.

**) Publice confirmatus est, siue, ut dici solet, introductus d. VII Iun. et iussu Senatus sententiam de instituendis lectionibus in prima et secunda classibus exposuit: qualis vero fuerit, non commemoratur in Protocoll. Consistor.

***) Subscribendum erat Formulae Concordiae ab Eccles. et Schol. ministris. Ne igitur illotis manibus fieret haec subscriptio, nec in sensu Augusti. Confessionis

ſtanam Confeſſionem publice interpretari coepit, eiusque inſtituti rationem itidem ſolenni oratione reddidit. Tres annos Scholae Rotenburgenſi praefuerat, quum in Academiam Tubingenſem ad Dialectices Profeſſionem reuocatus eſt, necdum absoluta Auguſtanae Confeſſionis interpretatione, quam ad finem ſe perducturum, et iuuentuti proponendam huc miſſurum, promiſit. Suffectus eſt BVRCKHARTO *) IOHANNES SCHEMELIVS, Rotenburgenſis,**) primum per duos annos Conrectoris, deinde per tres annos primae Claſſis σωφρ, ſic enim adpellatum reperio, munere functus: ***) Hoc temporum decurſu magno diſci-

feſſionis hoſpites eſſent Rotenburgenſes, explicare eam iuſſus eſt; non diſcipulis tantum adultioribus, ſed Paſtoribus etc: urbis, et nonnullis ex cituibus honoratis, qui literis imbuti erant, Senatoribus quin etiam quibusdam eum ſtudioſe et magno cum fructu audientibus. vid Zieglerus, Prof. Tub. in orat. de vita et obitu M. Ge. Burckhardi; p. 20. quam citat Frid. Lipſius, in diſſ. cuius tit: Monumenta quaedam memorabilia etc: 1683. habita, pag: 6.

*) Iſt dem M. Burckhart, vorigen Rector übel nachgeredet worden, daß er nur eine licentiam bey den Knaben habe aufgebracht in der Schul, und nicht viel Gutes ausgerichtet. Conſiſt. Protoc: 1588. d. 11 Mart.

**) 1578. d. 1 Aug. Iubil. Saec.

***) Cui ipſi quoque adiutor in prima Claſſe datus eſt M. Melchior Neander, Schneebergenſ. a. 1578. menſ. Octob. Conſiſt. Protoc.

discipulorum numero florebat Lyceum nostrum, qui anno CIↃIↃLXXXV ad quingentos adscendebat. Singulari prouidentiae diuinae cura factum merito creditur, ut ex tanta multitudine ne unus quidem pestilentia tum grassante extinctus fuerit. Iam capiendo tam numeroso coetui Monasterium non satis spatiosum, tum vero etiam nimis remotum ab aede D. Iacobi, in qua sacra publica obeunda erant, videbatur. Locus praeterea in extremo urbis angulo solitarius saepe delinquendi occasionem petulanti adolescentiae subministrabat. Decreuit itaque Senatus Amplissimus, pro suo bonas literas religionemque iuuandi studio, nouum aedificium exstruere, quod careret iis, quae dixi, incommodis, dignumque Musis domicilium praebere posset. Triumuiros igitur Scholasterio nouo condendo creauit GEORGIVM SCHNEPFIVM, et IOHANNEM CHRISTOPHORVM MARQVARDVM, Consules, et MICHAELEM WACKERVM, aedis D. Iacobo sacrae curatorem. Horum naua industria factum est, ut trium annorum spatio magnifica illa moles, quae hodie quoque hospitum oculos ad se conuertit, excitaretur, et rebus omnibus, ad decus pariter atque necessitatem, instructa perficeretur. Sumtus in eam factos superasse accepimus tredecim florenorum millia, quae pecuniae summa, pro illius praesertim temporis ratione, quo pretia rerum erant multo, quam nunc sunt,

aequiora, censeri sane ipotest ampliſſima: Non possum, quin huc adscribam verba D. ANDREAE LIBAVII, cuius aeque ac libri, ex quo ea excerpsimus, deinceps mentio facienda erit. „Posuistis Vos quidem „Coss. prudentiſſ. Senatores spectati, Vos, „inquam, posuistis in celebri illa Roten„burga Vestra multa praeclara ciuitatis no„strae ornamenta, inter quae non in po„stremis est Scholasterium, officina nempe „pietatis, eloquentiae et artium liberalium, „eius praestantiae, ut facile sufficiat ad id „praestandum, quod illi (*Semiramis, Mi„nos, Reges Aegypti*) prodigiosarum stru„cturarum machinis, (*muris Babylon. hor„tisque pensilibus; Labyrintho; Pyramidi„bus*) inuenire sibi sategerunt. Arguit „enim splendor eius sumtum, sumtus ma„gnificentiam et liberalitatem, liberalitas „amplitudinem virtutis et beneficii, quod „demum ad immortalem gloriam satis ha„bet praesidii. „ Subsistimus hic, alio tempore, si vita suppetet, plura daturi. Supereſt, ut id, cuius gratia hanc scriptionem vulgamus, expediatur, solemnisque actus, quo terminari vernalis curiarum lustratio solet, rite indicetur. Habebuntur nimirum, more dudum recepto, Orationes publicae tres, et primo quidem VIR SVMME REVERENDVS, EXCELLENTISSIMVS AC LONGE DOCTISSIMVS, DN. AVGVSTINVS MICHAEL RüCKERVS, EC-

ECCLESIARVM ROTENBVRGENSIVM SVPERINTENDENS, *duos ſcopulos in iuuentute inſtituenda vitandos eſſe*; docebit. Tum nos, inſtitutum ſuperiore anno argumentum perſecuturi, *quanta ſint gentis noſtrae in linguam latinam merita, per ſumma rerum capita euntes*; oſtendemus. Poſtremo IOHANNES SIGISMVNDVS CHRISTOPHORVS Fuchs, Reip. alumnus, adoleſcens idoneo ad cultum capeſſendum ingenio praeditus, *de varia philoſophandi ratione, quae in Eccleſia noſtra inde a temporibus ſacrorum emendationis obtinuit*; breuiter diſſeret. Ad quae Gymnaſii decoranda ſolennia, ut Proceres Reipublicae Magnifici, et quicunque amore literarum ingenuo ducuntur, reique ſcholaſticae fauent; frequentes confluere, et excitare praeſentia ſua adoleſcentiae ſtudia ne grauentur; quam fieri poteſt obſeruantiſſime humaniſſimeque rogamus.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, a. d. XXI Maii;
CIↃ IↃCC XXXXVI.

# XII.

## Rerum ad Historiam Gymnasii Rotenburgensis pertinentium Particula tertia.

Annus agebatur post Christum natum millesimus quingentesimus nonagesimus secundus, cum in nouas illas, in quibus adolescentiae bonis literis instituendae conuentus haberi in posterum placebat, aedes totus coetus scholasticus solenni pompa tradu&tus est. Ac die quidem VII mensis Septembris, ante meridiem, longus puerorum adolescentiumque ordo ex monasterio, quod familiae Francisci olim fuerat, praeceptoribus comitantibus, in templum D. Iacobo sacrum procedebat, ubi a ven. sacrorum antistite, MICHAELE GVNDERMANNO, explictis pro concione verbis Psalmi CXIX, v. 9. *Quanam re purget adolescens mores suos? exsequendis tuis verbis*, magistri pariter ac discipuli officii sui admoniti sunt. Finitis sacris, iidem e templo, deducente toto reuerendo Ministerio, hymnum, *Conditor alme siderum*, modis musicis concinentes, in recens exstru&tum Scholasterium, eiusque spatiosum, quod in parte suprema est, auditorium, ingre-

grediuntur. Resonant iterum voces modulate canentium psallentiumque. Silentio facto, FRIDERICVS PRENNINGERVS, I. V. D. cathedram conscendit, ac iussu et nomine amplissimi Senatus grauissima seueriſſimaque oratione, quam, ut ab omnibus eo rectius intelligeretur, germanica lingua habuit, scholasticos increpauit, quod incredibili proteruia, dissolutissimisque moribus, omnem adhuc fructum scholasticae institutionis intercepissent, et quid in posterum ab iis fieri par esset ostendit, ac sine circuitione pronunciauit, eam ob causſam excitatum esse hoc aedificium, ut eo facilius petulanti adolescentiae frenum iniici posset. *) Cum peroraſſet PRENNINGERVS, unicuique discipulorum a MICHAELE REICHSHÖFERO, Senatore amplissimo, bacio stellatus, eine Sternbatze, memoriae

 causſa

*) Solchem nun, wie auch allem andern Vnrath vnd Vnheil souiel immer müglich zu begegnen vnd bey Zeit vorzubauen, haben ein Er. Rath aus wolbedachtem Rath, vnd mit guter reifer vorbetrachtung, diesen newen Schulbaw an diesem Ort und vf diese Form vnd Weiß, wie vor Augen, mit cohabitationibus Praeceptorum aufrichten v. bawen lassen, alles zu dem End, vnd mit dem eiferigen Vorsaz, damit man Euch desto besser in das spiel und karten sehen, auf die socken tretten, und unter die sporen fassen, alle üppigkeit, was zu allenthalben bißdaher vngeradß fürgeloffen, fürohin destofüglicher vnd bequemer verhindern vnd abschaffen, vnd mehr dann zuvor nuz vnd frucht stifften und anrichten könne.

cauſſa ex aerario datus, ac ſymphonia muſica finis ſolenni huic actui impoſitus eſt. *) Conſtituti eo tempore ſunt ſex diſcentium ordines, quibus Rector, IOHANNES SCHEMELIVS, cum quinque collegis et uno collaboratore praeerat. Vtque ſeueriore diſciplina totum ſcholae corpus contineretur, ANDREAS LIBAVIVS, M. D. Phyſicus ordinarius, Vir, praeter alia, humanitatis et philoſophiae ſtudiis politiſſimus, Inſpector ab ampliſſimo Senatu Gymnaſio praepoſitus eſt, a PRENNINGERO eadem, quam diximus. oratione inauguratus. Is duabus per hebdomadem horis publice docendi prouinciam cepit. Statim ſub auſpicium muneris ſui et leges ſcholaſticas, et rationem docendi diſcendique ſcripſit, quas et iis, quibus oportebat, approbauit. Ceterum, quales fuerint non habeo dicere: diligentiam

*) In tabula aenea, quae ſuperimpoſita eſt ianuae diaetae. quae ſpectat occidentem, in parte aedium Gymnaſii ſuprema, leguntur haec verba: Quod felix et fauſtum eccleſiae et reipublicae ſit, introducta eſt ritu ſolenni noua haec ſchola, auſpiciis inclyti Senatus Rotenburgenſis, VII die Septembris, anno ſalutis MDXCII M. IOANNE WINTERBACH, Conſule, MICHAELE REICHSHöFERO, M. BERNHARDO MADERO, Senatoribus, ANDREA LIBAVIO, Medicinae Doctore, M. MICHAELE GVNDERMANNO, Paſtore, omnibus pro tempore Scholarchis, et M. IOANNE SCHEMELIO, primo ſcholae Rectore. Deus omnibus recta docentibus et diſcentibus adſit et benedicat. Amen.

tiam enim inquirentis effugere. Id tamen satis constat, Theologiam docentes usos fuisse Compendio Heerbrandiano, quod in breuiores theses redactum discipulis proponebatur. Sed id postea Compendio Hutteriano, EHINGERI suasu, permutatum reperio. Grammatica graeca et latina tradebatur secundum CRVSIVM, reiectis PHILIPPI MELANCHTHONIS praeceptis, cuius etiam Dialectica Rameae cedere iussa est. Nam ANDREAS LIBAVIVS, cum SOHNLEVTNERI Logicam semel iterumque explicasset, ipse ad conscribendam in usum Scholae Rotenburgensis Dialecticam *) ex sententia P. RAMI, animum adiecit, cui, cum eius exempla defeciissent, etsi de ea recudenda deliberatum erat, propter perspicuitatem DIETERICI Dialectica substituta est. Doctrinam etiam naturalem tradere LIBAVIVS, et semel singulis mensibus disputando proiectiores exercere, solebat. Anno CIↃIↃCV, qui erat decimus tertius post rem scholasti-

 cam

*) Dialectica. Explicata ex sententia et commentariis praestantissimorum nostri seculi logicorum, D. PHILIPPI MELANCHTH. et PETRI RAMI. In usum adolescentium scholae Rotenburgotuberanae, laudatissimi Senatus ibidem cura denuo constitutae. Opera ANDREÆ LIBAVII, M. D. P. cor. Noribergae, CIↃIↃXCIII. 8vo. Comes Dialecticae data est Rhetorica, etsi nulla in titulo eius fit mentio. Alia est *Dialectica Philippo-Ramaea* eiusdem Auctoris, 1608. Francof. ad Moen. edita, quam cum illustris CASIMIRIANI, quod Coburgi floret; Director esset, conscripsit.

cam inſtauratam, die XXXI Octobr. diem ſupremum obiit IOHANNES SCHEMELIVS, per annos viginti octo Rectoris officio functus, quem excepit M. ELIAS EHINGERVS,*) Auguſtanus, Vir eruditus, et ſcriptis ſuis magnam nominis celebritatem adeptus. Is Auſtriae inferiori, ubi muneri eccleſiaſtico praefuerat, *in Syrraxi Papae-pannonica valedicere coactus*, quae verba ipſe ſua manu ſcripta reliquit, eodem anno CIↃIↃCV Rotenburgum venit, atque a Senatu ampliſſimo, ut vacua SCHEMELII morte prouincia ſibi crederetur, petiit. Cumque orthodoxiam, doctrinam, modeſtiam, M. IOHANNI NESERO, ſacrorum apud nos antiſtiti, qui iuſſu Senatus, duarum horarum cum ipſo in aedibus ſuis inſtituto colloquio, qualis eſſet, explorauerat, egregie probaſſet propoſitae ſunt ei, praeter alias, huiusmodi conditiones, primum, ut LIBAVIVM inſpectorem ſuperioremque agnoſceret, totum ſeſe ei ſubiiceret, quidquid in ſchola acturus eſſet, eo conſentiente ageret, neque ſuo auſu quidquam innouaret; deinde, ut munus eccleſiaſticum ne ambiret, ſed operam ſuam omnem ſcholae in perpetuum addiceret. Quas cum, cunctatus aliquantum circa alteram, non inuitus

*) De vita et ſcriptis ELIÆ EHINGERI Commentatio extat IACOBI BRVCKERI, non Auguſtae ſolum ſuae, ſed totius orbis literati, decoris eximii, Auguſtae Vindel. 1724. in 8vo edita.

uitus tandem accepiſſet, menſe Decembri ineunte Rector deſignatus eſt, ac die XIV Ianuarii anni ſequentis a Ven. NESERO ſolenni oratione ſcholaſtico coetui commendatus, ipſe quoque orationem auſpicalem de ſapientia habuit, et ſine mora docendi initium fecit. Anno inſequenti, die XVI Februarii ANDREAS LIBAVIVS *) Coburgum diſceſſit, ad illuſtre Caſimirianum Directoris nomine regendum arceſſitus, atque EHINGERVS eius loco Inſpectoris vices obire iuſſus eſt. Neque enim ſeparatam ſcholae inſpectionem a Rectoris officio inposterum eſſe placebat. Functus eſt munere ſuo ad annum usque CIↃIↃCXVII, quo in patriam ſuam, Auguſtam Vindelicorum, ut GE. HENISCHIO, in Gymnaſio Annaeano Profeſſori, ſuccederet, euocatus, teſtimonio vitae laudabiliter apud nos actae a Senatu ampliſſimo ornatus, abiit. Valedixit muſis Rotenburgenſibus oratione poſt examen vernale, die II Maii, publice habita, de diligentia et obedientia diſcipulorum praeceptoribus praeſtanda, ſub icone apicularum. Hanc dicendi materiam procul dubio ex ea cauſſa delegit, quod, dum Rotenburgi erat, contrariis illis virtutibus vitiis multum ei diſcipuli negotii faceſſebant, ut parum abeſſet, quin eum fortu-



*) De Libauio vid. Ludwigs Ehre des Caſimiriani academici in Coburg, ibid. 1725 in 8. edita, P. I. 139. P. II. 244. Index Scriptorum habetur, P. 246.

nis ſuis euerterent. Exiſtimabant noſtri, cum huc appuliſſet, diuinitus eum miſſum eſſe, quoniam nemo erat, cui ſupremum illud munus ſcholaſticum credi recte poſſet. Non minus diuina prouidentia factum videri poteſt, quod eo ipſo tempore, quo id maxime optabile ei erat, commoda expediendi ſe ex malis illis, in quae inciderat, ratio illi oblata eſt. Sed praeter ea, quae adhuc narrauimus, etiam alia quaedam commemoratione non plane indigna, hoc temporis interuallo, quod effluxit ab anno CIↃIↃXCH, quo in nouum domicilium immigrarunt muſae noſtrae, ad annum CIↃIↃCXVII, quo EHINGERVS abiit, acciderunt. Ac primum quidem Logica Ramea, vel mixta potius ex PHILIPPI RAMI que praeceptis, aliquantum turbarum dedit. Et praeviderat LIBAVIVS, fore, ut conſilium ſuum aliorum reprehenſionem incurreret. Praemuniendos igitur ſuos, atque ſcripto edocendos ſuſceperat, quid reſponderent, ſi forte in cenſores incidiſſent, quod Tubingae inprimis, quo BVRCKHARTVS a nobis diſceſſerat, futurum ſuſpicabatur, ubi minimum loci RAMO ſemper fuit. Id ſcriptum infra ſubiecimus. *) Sed hic etiam loci aduerſarios

*) Wann die Tübinger fragen, warum man zu Rotenburg die Dialecticam Philippi nicht behalten, ſol man antworten: 1. Weil ſie ſelbſt Philippum vor einen kezer u. Calviniſten ausſchreien, hab man vermeinet man könn ſich durch ſeine praecepta

farios nactus est, qui male factum dicerent, quod Philippicis Ramea substituisset, et in-

cepta wieder die Calvinisten nicht wehren. Hab sie derhalben müssen verdachts halber fallen lassen. Man hat aber gewartet, ob der Tübinger Logicus (Burckhartus) wolte etwas beßers laßen auß gehn, welches er woll hett nach des Grammatici (Crusii) erempel thun sollen, also dz man seine Logicam, wie des Grammatici Grammaticam alhie hett brauchen können; aber solches vielleicht ad calendas graecas geschehen würd; so hab man des Philippi Dialectic durch anderer hülff müßen verbeßern. vnd weil keine artigere vnd mit der Natur und experienz besser vbereinstimmende gefunden wird, denn des Rami; hat man dieses wol gebraucht; Versehen vns die Tübingische Herrn werden mit vns nicht drüber zürnen. Laßen sie aber etwas bessers in Druck kommen; wöllen wir vns bedencken was zu thun. II. Fürs ander, so ißt es auch derhalben geschehen, auf das vnsere Jugend, was etliche übel schreiben, können wol iudiciren; an welchem ein grosser Mangel bey vielen ist. III. Fürs dritt so will man gute richtige, kurze, deutliche doctores ziehen; welches man in commenten, so hin und wieder mit wagen zuschneien nit finden kan. Vnd so man den commentisten ihre kühment nehme, würden sie wohl ihre schöne kunst gar verlihren. Wer aber Rami praecepta wohl studiret hat; der kan beydes new machen, und darff der alten gar nichts. IIII. Fürs virde, so vermeinet man, es sey in Ramea Logica solche richtigkeit, daß man sie nit besser finden könn. vnd ob wol viel heimliche faule wescher darwider blaudern, auch viel sich an die Ramisten gerieben, so haben sie doch nit viel gewonnen. Hat aber der Tübinger Mangel daran; versuche er seine kunst; sol vns derwegen nicht vbel gedeutet wer-

inconſtanſtiae eum accuſarent, quod, qui RAMI philoſophiam olim improbaſſet, nun o am-

werden, ſo man das beſte behalten, das andere fahren laſſen will. V. Zum fünfften läſt man ſich bereden, es werden izt die jenige, für warhaffte ſcharpfe und wol iudicirende leut beydes in Philoſophia vnd in Jurisprudentia (wiewol es auch in Theologia gemein würd, vnd vihlmehr Calviniſten Philippiſch ſein, den Ramiſch) gehalten, ſo correctam Logicam wol gelernet. Das nuhn vnſere iugent ihrem exempel folge, iſt für rathſam geachtet, ihre doctrinam ihnen zu proponiren. VI. So iſt man auch bericht, das man izt vielmehr Ariſtoteliſch nach der explication der barorum diſputiret, den philippiſch. Were aber das gutt geweßen; ſo hette es Philippus und ſeine conſorten nicht geendert. Dünckt vns derhalben viel bequemlicher ſein, Philippum mit Ramo zu verſchönen, vnd beyder Logicas in ein corpus zu bringen, den entweder zu ſchwermen, oder wieder an die barbaricas lacunas zu kommen. VII. So ſoll man auch wißen das man in latinis logicis vielmehr mit Cicerone reden ſoll den mit den barbariſten. Iſt derhalben nit vneben gemeinet mit Rami Logica. VIII. Wir ſehen auch das die alten authores viel leichter, beßer vnd fleißiger auff ramiſche art erkläret werden, den nach der faulen feder vnd weinbrüder fantaſey. So kan die iugent auch ehe zum nuz vnd brauch der praeceptorum kommen; denn vor alters geſcheen; item, man kan alle iar logicam einmal durch aus hören, vnd wol verſtehen lernen; den bey den alten leirern, die in drey oder vier Jahren kaum ein buch abſolviren, vnd doch ſo viel ſchmirens machen, das, ſo es wagenſchmier were, man denhalben koſten erſparen könte an allem was ſonſt auffgehet. Wir wöllen ſchweigen der argumen-

ten,

amplectendam censeret. Factum id cum alias, tum eo inprimis tempore videtur, cum edictum Electoris Saxoniae, quo Philosophia RAMI ex Scholis Saxonicis omnibus aut exterminabatur, aut excludebatur, hic innotuit. PRENNINGERVS prae aliis Dialecticam Libauianam inter cauſſas decreſcentis rei ſcholaſticae referebat, ac relegandam iudicabat in perpetuum. Sed maturo conſilio receptam eſſe Scholarchae reſponderunt, neque conueniens eſſe, ut nuper demum probata confeſtim reiiceretur: Itaque tum quidem locum ſuum tuebatur; donec tandem, ut dicere occupaui, DIETERICO ceſſit. Porro inter LIBAVIVM et EHINGERVM, paullo poſt huius aduentum, grauis orta eſt diſſenſio. Querebatur LIBAVIVS falcem in alienam meſſem mittere EHINGERVM, atque diſputandi exercitia inſtituere, quae ipſi demandata non eſſent. Oſtenderat nimirum EHINGERVS diſcipulis ſuis rationem modumque argumenta in formam redigendi, ut loquuntur, et ad ea ex artis praeſcripto reſpondendi. Nimis copioſum eſſe in Dialectica explicanda, et dictan-

ten, welche ex veris fontibus omnis ſcientiae genommen werden, die wir zwar vns vberhaben haben ob etwa ein waldkrahe wieder vnſer vornehmen etwas weiter ſchreien würde, damit wir derſelben weiter könten begegnen. Proteſtiren aber, das mit dieſem niemand ſoll gemeinet ſein, den welcher vns vnſers vornemmens halber zuvor verechtlich halten würd.

dictando tempus consumere. Vix trium hebdomadum spatio efficere se potuisse, ut ea, qua par esset, docendi ratione uteretur. Neque mirum videri debet, EHINGERVM, Aristotelicis adsuetum, in Libauiana Dialectica ad mentem auctoris explicanda paullo tardiorem initio fuisse, et in ambages forte quasdam incidisse. Nactus item aliquando LIBAVIVS aduersaria filii Ehingeriani, in quibus dictata quaedam patris consignauerat, loco cuidam sua manu haec verba adscripsit: axioma hoc impium et falsum est. Non tulit id tacitus EHINGERVS. Re ad Scholarchas delata, breuiter eos admonendos esse placuit, ne obtrectando inter se detrimentum rei scholasticae adferrent, libellumque istum, ne quod monimentum offensionis supereesset, abolendum. Aliquot annis post ab aliis etiam erroris insimulatus est EHINGERVS. Relatum autem non inuenio, quaenam fuerint illae sententiae EHINGERI falsae, impiae et erroneae. Et quis ea, quae calamo, pro captu suo, excipiunt discipuli, sua agnoscet, aut praestabit? Eae inter hos duumuiros simultates discipulos etiam in factiones distraxere, ut pars eorum Libauianos, alii Ehingerianos se dici vellent. Erant vero, qui in LIBAVIO quoque non nihil desiderarent. Caput accusationis erat, sublimiorem eum, quam par esset, in docendo rationem sequi, neque ad captum

captum auditorum se satis demittere; themata elaboranda proponere nimis difficilia; suppeditare disputaturis argumenta, quibus siue contra differentium, siue defendentium munia sustinerent, uterentur; discipulis superbi moris esse auctorem. Non deerat tamen clarissimo Viro, quod pro se diceret satis probabiliter. Iam si, quae a ceteris magistris peccari dicebantur, enarrare vellem, patientiam lectoris nimis fatigarem. Summatim ut dicam, fructum nullum, aut perquam exiguum, institutionis publicae cerni; discipulos et inerudi-tos esse, et male moratos; rem scholasticam penitus prolapsam, peruulgatum crimen erat. Quemadmodum amplissimo Senatui pariter atque prudentissimis Scholarchis salus rei scholasticae magnae semper curae fuit: ita de medela tanto malo adhibenda deliberabatur saepius, et cum a LIBAVIO, in procinctu itineris stante; tum a Iure consultis nostratibus consilium, idque scripto comprehensum, petebatur, qua ratione rem corruptam restituendam putarent. Ii partim ea proponebant, quae varias ob causas exitum habere non poterant, aut nihil ad summam rei proderant; partim irae odioque tam perspicue indulgebant, ut Scholarchae, pro aequitate sua, alterum eorum consiliorum plane supprimendum iudicarent. Nunquam vero grauiores auditae sunt querelae, quam anno, qui

qui discessum EHINGERI proxime antecessit. Causa mali posita credebatur inprimis in disciplina laxiore, quod EHINGERVS, in quem omnis propemodum culpa conferebatur, virgas non satis expediret. Quare et inferiorum classium praeceptoribus iam olim facta erat potestas, discipulos posteriorum classium, si quos delinquentes deprehendissent, e vestigio verberibus castigandi. Ad caussam dicendam vocatus EHINGERVS summo se studio purgare, et ad singula, quae ei obiecta erant, fortiter, at modeste tamen, respondere conatus est. Ceterum vera corruptae adolescentiae caussa non alibi quaerenda fuisse videtur, quam in publica illa vitae morumque deprauatione, quae tum omnes paene ordines peruaserat, ut, si camarinam mouere consilium esset, facile demonstrari posset, qua contagione adeo adolescentiam etiam afflari necesse erat: ad cuius animos emendandos longe aliis, quam plagis, opus est remediis: ut vehementer fallantur, qui eos, qui literas et bonos mores verberibus inculcare studeant pueris, abunde satisfacere opinantur officio. Multum vidit M. SEBASTIANVS HOFMANNVS, quartae tum curiae praefectus, qui anno CIↃIↃCIII, cum in eadem caussa sententiam rogaretur, censuit, eradicata impietate inserendam esse teneris mentibus pietatem, nec poenas solum delinquentibus,

bus, ſed et praemia bonis eſſe decernenda; tum omnia meliora futura. Non tamen omnia tetigit, quae ad quaeſtionem propoſitam pertinere videbantur. Atque hic quidem pedem figere iubet modus huic generi ſcriptionis praeſtitutus, quem vel ſic iam aliquantum exceſſimus. Ad id nunc conuertor, cuius gratia haec tabula editur. Vetere nimirum laudabilique conſuetudine examini in ampliſſimorum Dominorum Scholarcharum conſeſſu per hosce dies inſtituto, orationibus publice habendis finis imponetur. Dicet autem VIR SVMME REVERENDVS et EXCELLENTISSIMVS AVGVSTINVS MICHAEL RüCKERVS, ECCLESIARVM ROTENBVRGENSIVM SVPERINTENDENS VIGILANTISSIMVS, CONSISTORIALIS ET SCHOLARCHIA GRAVISSIMVS, *de ſapientia Ægyptiorum*. Nos *de nationis germanicae in graecarum literarum ſtudia meritis* ſtrictim diſſeremus. Poſtremo IOHANNES WILHELMVS RISIVS, honeſtiſſimae proſapiae, excitatique ingenii adoleſcens, Reip. alumnus, *verum eſſe, quod vulgo dici ſolet, naſci, non fieri poetas*, breuiter oſtendere conabitur. Ad has igitur orationes audiendas, ut Proceres Reip. generoſi, magnifici, praeſtrenui, praenobiliſſimique, et omnes adeo, qui literis ſcholisque bene cupiunt, literati urbis noſtrae ciues, virtutibus, muneribus, meritisque praeſtantiſſimi, frequen-

tes confluere ne grauentur, obſeruanter atque officioſe petimus atque contendimus.

P. P. Rotenb. ad Tub. a. d. XIII Aprilis CIↃ IↃCC XXXXVII.

# XIII.

## Rerum ad Hiſtoriam Gymnaſii Rotenburgenſis pertinentium Particula quarta.

ELIÆ EHINGERO Auguſtam Vindelicorum vocato ſucceſſor datus eſt M. IOHANNES GEORGIVS SCHEMELIVS, adhuc Eccleſiae Rotenburgenſis Diaconus, IOHANNIS SCHEMELII, qui ante EHINGERVM officio Rectoris functus erat, filius, anno CIↃIↃCXVII, eo ipſo die, quo EHINGERVS huic ſcholae valedixit, II nimirum Maii, a NESERO, venerando ſacrorum antiſtite, qui continuo poſt EHINGERVM Cathedram conſcendit, in magna literatorum frequentia ſolenni oratione*) inauguratus. Quum poſtremo,

*) Edita eſt ea in libello, qui titulum praeſcriptum habet eiusmodi: Iubilaeus Euangelico-Lutheranus. Oratio Paraenetica ad laudem Dei Opt. Max. et gratiarum actionem pro reparata doctrinae Euangelicae puritate. Cum annexa introductione noui Recto-

postremo, ut in superiori Programmate diximus, EHINGERI tempore prolapsa multis visa fuerit res scholastica, et de instauranda illa deliberatum esset saepius: malo tamen quodam fato accidit, ut parum prosperos ea res haberet successus. Ea SCHEMELIO obtigerat tori socia,*) quae non iucundam ei vitam efficeret, aut partem oneris marito impositi ferendam susciperet: sed quae omnes eius, non rei tantum familiaris administrandae, sed muneris etiam publici gerendi, rationes perturbaret. Quam molestiam, ut credere par est, animo absterfurus, mero se inuitabat interdum liberalius, vir ceteroquin non malus, et egregiis ornatus dotibus, atque adeo, non ea, qua decebat, cura atque diligentia rebus praeerat. Neque Collegae eius omnes, ut par erat, officium faciebant. Itaque vix aliquot menses ab eo tempore, quo prouinciam ingressus erat, elapsi erant, quum veteres querelae redintegrari coeperunt. Erant autem duo accusationis capi-

 ta,

Rectoris Scholae Rotenburgo-Tuberanae. Habita in Panegyri solenni 2 Maii, anno 1617. Rotemburgi, 1617. per *Orationem praecedentem*, cuius mentio fit p. 20. b. non intelligenda est Oratio Iubilaea, quae prioribus philyris continetur: sed ea, quam EHINGERVS ante NESERVM recitauerat, etsi ea illic non compareat. Ceterum neque in fronte libelli, neque alibi, nomen Autoris, NESERI, expressum est.

*) Margaretha, Leonhardi Koeleri filia.

ta, alterum ad vitam moresque, alterum ad rei ſcholaſticae ſtatum pertinebat. Illud quale fuerit ex eo colligi poteſt, quod admonendos eſſe Gymnaſii collegas ampliſſimi Scholarchae cenſuerunt, ut maiorem diligentiae in officio faciendo, maiorem ſobrietatis et modeſtiae curam haberent, neque honeſtiſſimae in conuiuiis*) conſuetudinis etiam cum conſpicuis viris habendae occaſionem ſua culpa amitterent. Hoc fere erat eiusmodi. Grammaticae praecepta negligentius, quam par eſſet inculcari; inde fieri, ut parum in lingua latina diſcenda proficiant adoleſcentes. Ad Muſicam non ſatis diligenter pueros inſtitui; diſcipulorum negligentiam et petulantiam neceſſariae diſciplinae ſeueritate non contineri, et quae ſunt his ſimilia. Fueritne profectum aliquid admonitionibus iſtis, an ſurdis narrata fabula, non habeo dicere. Illud vero optarim, ut inueſtigari cauſſae poſſent, quibus et hoc et inſecuto tempore factum eſt, ut mala, quae agnoſcebantur

*) Conuiuia, ad quae hic reſpicitur, erant quaſi quoddam συσσιτίων aut ϑειδιτίων genus, (vid. IOH. PHILIPPI PFEIFFERI antiquitates graecas, p. 460, ſeqq.) quod celebrari apud nos ſolebat. Inſtituebantur ea partim ex certis reditibus ad eum uſum deſtinatis, partim ex Symbolis membrorum eius Collegii, muſicum, ni fallor, dicebant, quod hoc amicitiae beneuolentiaeque conciliandae conſeruandaeque more delectabatur, et ex Viris ordinis cum politici, tum eccleſiaſtici et ſcholaſtici conſtabat.

bantur ab omnibus, viderentur plane incurabilia. Sed ad alia festinandum. Non est, raetereundum unum eius temporis institutum, simile ei, quod in scholis praecipue saxonicis usurpatur. M. IOHANNI nimirum SEYBOTHIO, de quo viro mox plura dicemus, Conrectori, Poeseos non suae tantum, sed primae quoque curiae discipulos docendae prouincia demandata erat, quam et strenue obiit, etsi successus in hac studiorum parte raro respondeat operae. Ludi scenici quoque acti eo tempore videntur, quos quum frequentiores esse cuperet unus magistrorum, non posse eos permitti, ei responsum est, quod offendiculo vulgo esse viderentur. Tum de Gissensi Grammatica latina in Crusianae locum subroganda quaesitum est, neque dubium mihi est, quin recipi illam placuerit. Septem annos Gymnasio praefuerat SCHEMELIVS, quum faciendum visum est amplissimo Senatui, ut in pagum Gailnauiensem, *) ad pastoris munus obeundum, transferretur. Factum id est die IV Iunii, anni CIↃIↃCXXIIII. Tertio die post designatus est Rector M. IOHANNES SEYBOTHIVS, et die XVII eius mensis a summe reuerendo GEORGIO ZIERLINO, Sacrorum Antistite, coe-



*) Mox a. XXV in pagum Gattenhofensem: dein a. XXXII. Erzbergensem, et a. XXXIIII. rediit Rotheburgum, muneri sacro admotus; mortuus est a. 1645. aet. 68. v. Mich. Rengeri orat. funebrem.

coetui ſcholaſtico ſolenni ritu praeſentatus. Erat is natus WENDELINO SEYBOTHIO, tum temporis paſtore in Leuzendorf, lucemque hanc primum adſpexerat anno CIↃIↃLXXXXIII, die XVI Ianuarii, et elucebat in puero mature ſingularis ingenii praeſtantia, cum magno diſcendi ardore coniuncta: ad quam quum EHINGERI inſtitutio accederet, iam tum, qualis futurus eſſet, iudicari poterat. Annum ingreſſus erat decimum octauum, quum omnibus, quibus in Academia non inutiliter verſaturo opus eſt, praeſidiis inſtructus, ſtipendio etiam lautiore a Senatu ampliſſimo donatus, Vitembergam diſceſſit, ubi duorum annorum ſpatio tantos in Philoſophiae ſtudio progreſſus fecit, ut Magiſtri titulo atque honoribus augeretur, quem et crebris diſputandi exercitiis, modo oppugnantis, modo defendentis perſonam ſuſtinens, et ſcholis priuatis habendis praeclare tuebatur. Ad ſanctiores etiam literas, magnos, quos tum Vitemberga venerabatur, Theologos duces ſecutus, eo ſtudio incubuit, quo id eum facere par erat, qui aliis viam aliquando praemonſtraturus eſſet. Quum ſex Vitembergae annos egiſſet, ad praefecturam ſecundae Gymnaſii curiae in patriam a Senatu ampliſſimo reuocatus, atque anno CIↃIↃCXVII, die VII Aprilis, inauguratus eſt, quam ſex annis ea cum fide atque diligentia geſſit, ut totius Gymnaſii, ut diximus, regendi pro-

prouincia ei committeretur. Hanc per ipſos triginta ſeptem annos ſic adminiſtrauit, ut merito cara omnibus bonis eius memoria eſſe debeat. Inerant in eo cumulate omnia, quae in Viro ſui ordinis ineſſe par eſt. Linguarum eruditarum, graecae latinaeque, cognitio haud vulgaris; carminis pangendi mira facultas, ob quam a SEBASTIANO HORNMOLDO, Com. Pal. Caeſ. Conſiliario Wirtembergico, Poetae laureati honoribus ornatus eſt; Philoſophiae ac Theologiae ſumma peritia. Methodo in docendo cum ipſe utebatur facili, et diſcentibus commoda: tum, ut eandem Collegae ſui ſequerentur, efficere ſtudebat. Laboris erat patientiſſimus, et non ordinariae tantum adoleſcentum primae curiae inſtitutioni ſine intermiſſione vacabat, ac plus etiam, quam ab eo requirebatur, praeſtabat, curſu philoſophico, ut loquuntur, ſepties cum diſciplinae ſuae alumnis abſoluto: ſed etiam, quum ſecunda curia, variis ex cauſſis, tribus temporibus, proprio magiſtro aliquandiu careret, undecim annos, non illos quidem continuos, ſed interuallis diſtinctos, eius diſcipulos cum ſuis coniunxit; quin et totum aliquando coetum, ac pueros adeo etiam elementarios, ſolus inſtituiſſe traditur: nulla magni laboris extra ordinem ſuſcepti mercede publice remuneratus. Non minori lubentia egenos, ſi qui probos ac diligentes ſe

praeſtarent, gratis inſtituit, quam eos, qui habebant, unde didactrum ſoluerent. Quae liberalitas eo maiorem laudem meretur, quod eam difficillimo reipublicae tempore, quo incredibilis pecuniae penuria erat, exercebat. Accidit etiam anno CIↃIↃCXXXI, quo ſumma calamitas hanc urbem oppreſſit, ut ſuo ſumtu ligna proſpicere Gymnaſio cogeretur, ne cum docentibus operae quoque ſcholaſticae frigerent. Iam quam ſaepe, quamque amanter collegas ad officium quemque ſuum recte faciendum adhortatus fuerit; quanto ſtudio, ſi quid vitii irrepſiſſe cernebat, id emendare coactus fuerit; quantam curam alumnorum reip. egerit, multis veſtigiis deprehendi poteſt. Sed temporum, in quae inciderat, vitio factum eſt, ut multum ei impedimenti ex omni parte obiiceretur, ne ſaluberrimae eius deſtinationes, et prudentiſſima conſilia, optato ſucceſſu potiri poſſent. Vnde larga ei querendi materia ſemper fuit. Sigillatim illud non immerito mordebat virum integerrimum, quod ratio linguarum docendarum a collegis iniretur, ab ea, quam ipſe praeſcribebat, diuerſa et parum ad profectum adoleſcentiae accommodata. Probabat is methodum EVENII, aliorumque, qui plus in lectione auctorum, quam in Grammatica operae poni; atque ab illa, cognita vocum flexione, continuo initium fieri ſapienter volebant,

tant. Sed quoniam nouerat ingenia hominum, qui deserere vestigia maioribus trita piaculum putant, etsi breuiori planiorique itinere, quo contendunt, si obsequi recte monentibus vellent, praeuenire possent, mediam quandam rationem tenendam commendauit, his fere verbis: „Commodior mihi docendi via videtur illa, si „praeceptor primo praegustum quendam „regulae ex Grammatica praelegendo saltem secundum ordinem faciat: et deinde „singularem operam det, ut continuo eandem exemplis variis ex autore hinc inde „conquisitis declaret, crebra repetitione „inculcet, formularum variationibus ad „imitandum propositis confirmet, concludat, et tandem ad ediscendum propo„nat.„ *) Sed erant, qui spretis illis, tanquam nihil ad se pertinerent, monitis, ad Grammatices praecepta, et Ianuam latinitatis, **) qua inferiores Classes utebantur,



*) Vid. Paedia M. IOH. SEYBOTHII, p. 12.

**) Ianua latinitatis Collegii Hiberno-Borei, cum versione germanica, per M. ANDR. BACHMANN, Rect. Northusanum, et alias saepissime, etiam titulo Mercurii praescripto, cum versione hispanica, italica, anglica, gallica, belgica, graeca, hebraea, edita. De cuius celeberrimi superiori saeculo libelli historia consulenda CASP. SCIOPPII praefatio, Mercurio quadrilingui, Basileae 1627, 8, excuso praemissa. Nouissima est editio Wratislauiensis anno 1734 procurata, cum versione germanica noua, diuersa et a BACHMANNI illa, et ab ea, quae habe-

tur, memoriter recitandam pueros ſtrenue adigerent, non curantes interim, ut intelligerent, quae ediſcenda ipſis proponebantur, neque quomodo ad uſum transferenda eſſent, oſtendentes: deinde excarnificatos hoc modo pueros ſolos relinquerent, ipſi foris deambulantes et confabulantes, non ſine clamore et cachinno interdum, exemplum ſcilicet, quod ſequerentur, diſcipulis praeeuntes egregium. Ac poterant quidem hae Cl. SEYBOTHII, et aliorum, quas paullo ante attulimus, querelae aeternis obliuionis tenebris ſepultae iacere, niſi ad illud prodeſſe poſſet earum commemoratio, ut falli appareat eos, qui laudatores temporis acti, ſpretis praeſentibus, non niſi vetera probant, et omnia olim rectius, quam hodie, ſe habuiſſe opinantur. Ceterum ſi quis plura forte de moribus ſcholaſticorum eius temporis, parentum item, qui ſuos in ludum literarium mittebant, aueat ſcire, legat Orationem, *) quam ha-

habetur in Ianua bilingui HABRECHTI, Argentorati 1629, 8. impreſſa, in qua occurrit etiam verſio Italica alia ab ea, quam SCIOPPIVS cum Rudimentis Grammaticae philoſophicae, Mediolani 1629, 8, edidit,

*) Habetur ea in libello, cui titulus: Tuba Tricornis indicti Iubilaei ſcholaſtici Rotenburgo-Tuberani, hoc eſt, Iubilum ſeculare, auſpiciis Nobiliſſ. et Ampliſſimi Senatus Reip. Imp. Rotenburg. In Dei Opt. Max. laudem et gloriam, pro clementiſſima ſcholae eiusdem, ad Euangelicae doctrinae puritа-

habuit Cl. SEYBOTHIVS, quo die ſaeculare Gymnaſii feſtum agebatur. Incidebat illud in annum CIↃIↃCLVIIII, qui erat ex eo tempore, quo poſt ſcholam recens apertam et recte conſtitutam, coetus diſcentium in Monaſterium, quod olim fuerat Monachorum ordinis Franciſci, introductus fuerat, centeſimus, et duabus orationibus latinis, die IX Nou. in auditorio Gymnaſii dictis, et concione ſacra, die X Nou. in templo D. Iacobo ſacrato habita, conuiuioque frugali pomeridiano, in aedibus Gymnaſii ſumtu publico inſtituto, celebratum eſt. Tertio poſt Iubilaeum ſcholaſticum celebratum anno, qui erat ſaeculi ſexageſimus primus, die menſis Auguſti XXIX, morbo, ut videtur, eruditis, qui vitam agunt ſedentariam, ſatis familiari, inflammatione viſcerum infimi ventris, paucorum dierum ſpatio ritatem, ante centum annos, reformatae, inter tot periculoſos ſeculi decurſi motus ac metus conſeruatione, editum tribus diſſertationibus Panegyricis, una didactica germanica, in Templo D. Iacobi, anno MDCLIX, X Nouemb. a M. GEORGIO NAGELIO, Eccleſ. veſpertino; Altera Hiſtorica latina, in aula Scholaſterii, IX Nou. a IOH. GE. ALBRECHTO, I. V. D. Reip. Patriae Syndico; Tertia Euchariſtico paraenetica, a M. IOH. SEYBOTHIO, P. L. Caeſ. Scholae Rectore, eodem loco et die habitis. Excudit MART. WACHENHEVSERVS Rotenburgi, A. MDCLX. in 4to. Additus eſt Catalogus omnium Praeceptorum, qui ad illud usque tempus in Lyceo Rotenburgico docuerant.

tio consumtus est, cum vixisset annos LXVIII, menses VII, dies XIII, magno sui apud omnes bonos, qui aliquid de meritis viri iudicare poterant, desiderio relicto. Supersunt ex posteris eius, qui honoribus, meritis, et eruditione floreant, memoriamque et nomen SEYBOTHIANVM cum laude tueantur, quos nominatim citare et ipsorum modestia, et instituti nostri ratio prohibet. Scriptorum, *) quae in publicum edidit, eorum

*) Epitome Syntaxeos graecae MARTINI CRVSII, pro schola Rotenburgo-Tuberana renouata, et notis aliquibus, ac pluribus regulis non minus necessariis, appendice item triplici, Tonorum, Numerorum, Mensium et Dierum ex Golio, Posselio et aliis, emendata et aucta, per M. IOH. SEYBOTHIVM, ibidem Conrectorem. Rotenburgi, Typis HIER. KÖRNLINI, Anno 1618. in 8vo pl. 3.

Breuis Nomenclatura latino germanica ex optimis Autoribus congesta, et in suum ac verum ordinem praedicamentalem digesta, nec non pro diuersa discentium ratione in duas distributa partes. Opera et studio M. IOHANNIS SEYBOTHII, Scholae Rotenburgo-Tuberanae Conrectoris. Nqribergae. MDCXXII. pl. 8. Tertia editio prodiit ibidem MDCXXXVIII, non tantum pluribus nominibus, sed inprimis serie verborum, tam primitiuorum et simplicium, quam deriuatorum et compositorum locupletata. pl. 12.

Typi Declinationum et coniugationum tam latinarum, quam graecarum, cum compendio docendi et discendi alphabetum, in usum scholae Rotenburgicae editi a M. IOH. SEYBOTHIO. Excusi Rotenburgi ad Tub. Typis IACOBI MOLLYNI, anno MDCXXXVI. in 8. pl. 1½.

M.

eorum inprimis, qui ſcholaſtici ſunt argumenti, titulos infra appoſuimus. Pedem hic

M. IOHANNIS SEYBOTHI, P. L. Caeſ. Gymnaſii Rotenburgo-Tuberani Rectoris, Paedia gemina, una philologica Linguarum, altera philoſophica Scientiarum naturam, culturam et uſuram κατὰ θέσιν καὶ ἀντίθεσιν diſtinctis capitibus, tabulis perſpicuis, et neceſſariis controuerſiis explicans et demonſtrans. Subſecuturis iſtius generis Syſtematibus inſtar prodromi praemiſſa. Rotenburgi ad Tubarim, impenſis IEREM. DüMLERI, Bibliop. Norimb. Typis vero IACOBI MOLLYNI. MDCXXXVI. pl. 15.

Manuale Philoſophiae Theoretico-practicum, xii Syſtemata breuiſſima methodo complectens, continuaque Praeceptorum, Exemplorum, Scholiorum et Canonum ſerie cum Praxi, et genuino ſobrioque, pro ratione neceſſitatis in controuerſiis Philoſophicis et Theologicis, uſu tam didactico quam elenctico proponens, explicans, illuſtrans: ſtudio IOHANNIS SEYBOTHII, Poet. Laur. Caeſar. et Gymnaſii Rotenburgo-Tuberani Rectoris. Francofurti ad Moenum, 1658. 8. Continentur eo, Metaphyſica, Phyſica, Arithmetica, Geometria, Geodaeſia, Optica, Muſica, Doctrina Sphaerica, Geographia, Ethica, Politica, Oeconomica. Subiungitur, cuius nulla in titulo mentio, Iſagoge hiſtorica, noua methodo Hiſtorias uniuerſales et particulares, ſacras et profanas, biblicas et eccleſiaſticas, continua ſerie rerum et perſonarum, una cum dubiorum ſolutionibus, aliisque quaeſtionibus et obſeruationibus ſcitu neceſſariis, breuiſſime et quaſi per indicem delineans. Autore M. IOHANNE SEYBOTHIO. ibid. eod. pl. 92.

Curauit etiam editionem Homiliarum IOHANNIS FöRSTERI, Th. D. et Prof. Wittenbergenſis. Prodiere 1625. Noribergae, in 8. Tacemus iam diſpu-

hic nos figere, temporis, quo circumſcri-
bimur, iubet anguſtia. Illud nunc adden-
dum, cuius cauſſa, receptum ſecutis mo-
rem, haec tabula proponenda fuit. Poſt-
quam nimirum per hoſce dies exploratis
conſueto examine ſtudioſae adoleſcentiae
ingeniis atque profectibus, progreſſiones
ordinum factae ſunt, ſolennitati iſti ſcho-
laſticae orationibus publice habendis coro-
nis imponetur. Ac VIR quidem SVMME
REVERENDVS, EXCELLENTISSIMVS AC LON-
GE DOCTISSIMVS, DN. AVGVSTINVS
MICHAEL RüCKERVS, ECCLESIARVM
ROTENBVRGICARVM SVPERINTENDENS VI-
GILANTISSIMVS, CONSISTORIALIS ET SCHO-
LARCHA GRAVISSIMVS, *Triſtia Belli tri-
cennalis, elapſo iam nunc ſeculo, per Pa-
cem Weſtphalicam finita*, breuiter expo-
net. Tum nos *de meritis Germanorum in
literas hebraicas* breuiter dicemus. IACOBVS
vero FRIDERICVS ACKERMANN, Kirnber-
genſis, Reip. Alumnus, qui diligentiam et
modeſtiam ſuam nobis adhuc latis proba-
uit, *praerogatiuas, quas conſtitutio rei
ſcholaſticae hodierna habet prae veteri*,
paucis edifſerendas elegit. Ad has audien-
das Orationes, ut Generoſi, Magnifici,
Praenobiliſſimi, Ampliſſimique Reipubli-
cae Proceres, ac ceteri omnium ordinum,
ſuis quisque titulis ac meritis conſpicui,
hono-

diſputationes Wittenbergae habitas, et alia forte,
quae nos fugere potuerunt.

honoratissimi viri, et quicunque praeterea bonis literis bene cupiunt, frequentes, nisi graue est, conuenire, eaque beneuolentiae contestatione docentibus pariter ac discentibus animos addere ne grauentur, obseruantissime enixissimeque rogamus.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, a. d. xxv Apr.

CIↃ IↃCC XXXXVIII.

## XIV.

## Rerum ad Historiam Gymnasii Rotenburgensis pertinentium Particula quinta.

Quam prouinciam IOHANNES SEYBOTHIVS, praeclare de re omni scholastica meritus, morte sua vacuefecerat, ea cuinam potissimum tradenda esset diu multumque deliberatum est. Quo magis agnoscebat amplissimus prudentissimusque Scholarcharum ordo, quantum et rei sacrae et ciuilis interesset idoneum hominem praefici muneri, quod recte administratum magnas uniuersae reipublicae utilitates; neglectum, aut secus, quam par esset, gestum, multum detrimenti necessario adferret: eo minus reperiebat, cui rei scholasticae summa

recte

recte credi posse videretur. Itaque primae secundaeque curiae discipulos tantisper coniungi, et una eademque opera a Conrectore, IOH. HENRICO PFEIFFERO, Schlaizae Variscо, institui placuit, dum maturiori consilio de successore dispiceretur. Tandem quinque mensium elapso spatio, consentientibus suffragiis, in praeceptoris sui nuper defuncti locum delectus est IOHANNES LVDOVICVS HARTMANNVS, qui eo tempore in vicino urbi pago Spilbacensi rem sacram curabat. Nondum is annum aetatis vigesimum secundum expleuerat; sed et religiosa vitae morumque integritate et singulari doctrinae laude, et prudentia praecoci, quae res magnam ei existimationem auctoritatemque conciliabant, iuuenilem aetatem longe supergressus, prouinciae, quae ei tradebatur, recte et ordine obeundae haud impar iudicabatur. Nec falsos fuisse iudicio suo, qui sic de eo sentiebant, euentus abunde comprobauit. Erat autem praeclarum illud, quod in eo exsplendescebat, ingenium, et vehemens ille studiorum amor, haec enim inesse in eo oportebat, qui paene puerilibus annis quandam doctrinae maturitatem adeptus esset, ei tanquam a generis stirpe insita. Patrem enim, auum proauumque habebat, viros non sacrarum tantum rerum, cui sese inprimis dederant, cognitione florentes; sed et ceteris studiis, quibus animus expoliri

iri ſolet, poetica inprimis facultate, exculti-ſſimos. Ac IOHANNES quidem GEORGIVS HARTMANNVS, tum temporis ſacri coetus Lichthalenſis paſtor ordinarius, Schmerbacenſis autem et Spilbacenſis vicarius, poſtea paſtoris in urbe ad Spiritum S. officio functus, eum ex ANNA MARIA SCHWARZMANNIA ſuſcepit, anno ſuperioris ſaeculi quadrageſimo, die III Februarii, in ipſa hac urbe noſtra, in quam temporum calamitate, ac milite agros paſſim depopulante, cum ſuis ſeſe recipere coactus erat. Animaduertit mature feliciſſimus pater in tenello puero diuini igniculos ingenii, qui ut bonae inſtitutionis pabulo alerentur, et monitis atque exemplis, tanquam flabello, magis magisque excitarentur, antequam annum aetatis quartum egreſſus eſſet, huic noſtrae bonarum artium officinae filiolum concredidit, in qua tantos celeri paſſu progreſſus fecit, ut breuiori, quam alias fieri ſolet, tempore, omnium eorum, quae tum apud nos tradi ſolebant, literarum ſtudiorumque curriculum abſolueret, atque annos natus non amplius ſeptemdecim idoneus haberetur, qui ad ampliora doctrinae ſpatia in Academiis conficienda admitteretur. Itaque Wittebergam inſtauratae religionis gloria celebrem conceſſit, anno CIↃ IↃC LVII, et praeclariſſimas animi dotes non ad audiendos tantum, qui et Philoſophia et Theologia docenda immortalem no-

minis famam consecuti sunt, doctores publicos, in his CALOVIVM inprimis, MEISNERVM, KVNADVM, contulit: sed et literatis conflictibus, modo defendentis, modo contra disputantis personam sustinens, interfuit, et quantum eruditione et expedita differendi facultate valeret, plaudente circumstantium corona, saepius ostendit, eaque re, ut ab omnibus, qui eum norant, laudaretur, et magnifieret, perfecit. Tribus annis totidemque mensibus Wittebergae commoratus quum esset, a Parente domum redire iussus est. Paullo post in amplissimo Consistorii ecclesiastici consessu de grauissimis argumentis interrogatus, promtis eruditisque responsionibus omnium admirationem in se conuertit, ac nulla interposita mora parochiae Spilbacensi, quae tum forte vacabat, praepositus est, anno CIↃ IↃC LX. In eo munere summa fide ac diligentia, nec minori fructu obeundo octodecim circiter menses versatus erat, quum, uti diximus, Gymnasii regendi cura, felicibus auspicis, ei demandata est. Renunciatus publice Rector et Inspector est in solenni panegyri anno CIↃ IↃC LXII, die XXIX Ianuarii, a M. GEORGIO NAGELIO, Ecclesiaste Seniore et Consistorii Assessore, recitata oratione *de mutuo scholae et ecclesiae nexu.* Nouus autem Rector *de fontibus salutaribus nouiter tum ortis* sermonem inauguralem habuit. Quo annis viribusque valen-

valentior erat HARTMANNVS, eo maiori contentione id egisse visus est, ut omnibus officii sui partibus ex asse satisfaceret, adolescentiamque ad eorum, quas, pro eo, qui tunc erat, eruditionis statu, oportebat, rerum cognitionem breuissima certissimaque via perduceret. Videbantur autem ipsi cum Philosophiae, tum Theologiae elementa, copiosius difficiliusque, quam pro tironum captu, adhuc fuisse tradita. Itaque ipse ad conscribenda breuia et perspicua earum praecepta *) animum adiecit, eaque discipulis suis primum transcribenda, deinde, quum iam praefectura Gymnasii abiisset, typis excudenda curauit: quibus aliquandiu usa est schola nostra, donec, ut fieri solet, succedentium magistrorum stomachus, temporisque ratio, alios substitui desideraret.



*) Theologia positiua et moralis, cum parallelismo librorum symbolicorum, in gratiam studiosae iuuentutis in veri christianismi studio informandae, consignata a IOHANNE LVDOVICO HARTMANNO, S. S. Theol. D. Ecclesiarum Rotenburgicarum Superintendente. Francof. 1678. in 12. pl. 16.

IOH. LVDOVICI HARTMANNI Clauis philosophiae, institutionum Logicarum medulla, et Regularum philosophicarum potiorum explicatione viam ad maiora referans. Pro Gymnasio Rotenburgo-Tuberano. Excusa MDCLXX. sumtibus MARTINI BEERII, Bibliopol. Rotenb. Norimbergae.

Neque ſuae tantum curiae adſcriptis hac ratione conſultum volebat, ſed inferiorum etiam ordinum diſcipulis aliquid adiumenti afferre conabatur, quo expeditius et facilius latinae graecaeque linguae rudimenta capeſſerent. Verum hi quoque libelli *) dudum aliis loco ceſſere. Vt animum diſciplinae ſuae alumnis exaugeret, in publicum eorum ſtudia proferre, atque ad diſputandi amorem atque ſolertiam, (quae eximia in eo fuiſſe videntur, quum et in ſupremi

*) Facilis et perſpicua linguam latinam addiſcendi ratio, quoad rudimenta Grammaticae. Editio ſecunda correctior, et ſyntaxi ornata auctior. Rotenburgi; typis et impenſis NOACHI DE MILLENAV, MDCLXIV. in 8. pl. 11.

Facilis methodus addiſcendi linguam graecam Noui Teſtamenti, cum ſyllabo omnium vocum. Rotenb. MDCLXXVIII. Subiiciamus pauca ex praefatione HARTMANNIANA verba, ex quibus, quid ſpectauerit Auctor, cognoſci poteſt. „Ceterum cum „Grammaticam Graecam Noui Teſtamenti adornare viſum fuerit, haud opus erat iungere numerum dualem, ille enim in N. T. nunquam „occurrit. Omiſſum quoque fuit paullo poſt Futurum, cum unicum duntaxat eius exemplum in „N. T. habeamus. Luc. XIX, v. 40. οἱ λίθοι „κεκράξονται. Quod ſi Latinae linguae operam „nauantes ex ſolo uſu diſcunt verborum formationes, nec rationem dant cur v. g. *tango* habeat in „perfecto *tetigi*, *ſcribo ſcripſi*: quidni et in graecis carere poſſimus tot regulis? Atque eo fine „addita ſunt omnia nomina et verba Noui Teſtamenti in diſtinctas claſſes reductae, ut ea uſu et „praxi pleraque innoteſcere queant.„

ſupremi ſacrorum Antiſtitis dignitate conſtitutus eccleſiarum miniſtros ſaepius cathedram ſecum conſcendere, et de argumento aliquo ſacro publice reſpondere iuſſerit) adſuefacere eos coepit. Quanquam non niſi reſpondentium partes tuerentur diſcipuli, contra diſſererent vero alii, ordinis inprimis eccleſiaſtici eruditi viri. Graece praeterea et ebraice declamare ſuos voluit, deſiderio, ut arbitror, eorum velificatus, qui aut aures ignotis ſibi ſonis titillari cupiebant, aut ſingularis famam eruditionis adoleſcentibus noſtris comparari eo pacto credebant. Ipſum enim virum optimum multo melius fuiſſe animatum, quam ut ſponte ſua illudere auditoribus, aut fucum facere imperitis animum induceret, plane perſuaſum habemus. Primus etiam fuit, niſi fallor, HARTMANNVS, qui Programmate circum domos miſſo inuitare ad orationes in Gymnaſii auditorio habendas literatos urbis viros, et ſolenni laudatione cohoneſtare Procerum defunctorum memoriam, inſtituit, qui mos ad hunc usque diem ſeruatus eſt. Ceterum quantacunque integritate, fide, induſtria, dexteritate ſpartam ſibi commiſſam ornauerit IOH. LVD. HARTMANNVS, effugere tamen non potuit ſiniſtra eorum iudicia, qui, quod cum aliis latiſſime patentibus cauſſis, tum negligentiori laxiorique, quam par erat, diſciplinae domeſticae tribuendum

erat, iis imputare inuidiose solent, qui adolescentiam ad bonos mores bonasque artes eruditunt, neque cogitant esse vitia quaedam, quibus emendandis schola omnino sit impar. *)

Sed non perpetuo saxo illi sisyphio voluendo destinatum esse HARTMANNVM mox apparuit. E viuis enim sublato M. GEORGIO NAGELIO, venerando sacrorum Antistite, spectabili Consistorio nemo, qui ei succederet, HARTMANNO dignior est visus, nisi aliunde arcessere, quod domi nasceretur, placeret. Verum quae singularis erat viri modestia, iuuentutis excusatione usus, nolle se maioribus natu anteferri declarauit, eumque honorem, siue id onus est, a ceruicibus suis tum quidem amolitus est. Sed quum undeuiginti elapsis mensibus, erepto huic urbi viro summo, DANIELE RüCKERO, **) qui reuocatus in patriam NAGELIO successerat, idem locus vacaret, atque iterum esset eius ratio habita, sequendum sibi esse nutum diuinum statuit, ac anno CIↃIↃCLXV, Februario mense, delatum sibi amplissimum munus suscepit. Quanta

*) Vide quae in Actis et Selectis scholasticis celeberrimi longeque doctissimi BIDERMANNI, qui hodie Freibergense Gymnasium moderatur et ornat, de hoc argumento hinc inde leguntur.

**) De cuius vita lectu dignissimis aliquot Programmatibus luculenter exposuit vir Clar. GE. WILHELMVS DIETZ, Gymnasii Windshemiensis Rector bene merentissimus,

Quanta fide, innocentia et prudentia, quanto animos Christo lucrifaciendi studio, quanto fructu ei praefuerit, quot libris in publicum editis rem Christianam iuuerit, et quae praeterea ad vitam eius pertinent, non est huius loci copiosius commemorare, ubi non nisi quae ad historiam Gymnasii spectare videntur, tradere constituimus. Sed non intercidet eius memoria, quoad eruditioni pietatique suus inter homines honor constabit.

Nondum HARTMANNVS decesserat scholastica prouincia, quum successor ei decretus est FRIDERICVS LIPSIVS, Pastor adhuc Moerlbacensis et Habelseensis, vir eximia corporis specie staturaque spectabilis, facundus praeterea et comis, verborum blanditiis beneuolentiam captare solitus, disputator subtilis et haud indoctus, quibus rebus paullo ante in publica disputatione a HARTMANNO habita contra differentis vicem obiens, animos Procerum quorundam urbis sic occupauerat, ut neminem ei praeferendum censerent. Quin et contigit ei, ut illustrissimum Comitem Castellensem, Herum eius, de condonando tali viro urbi nostrae, perquam honorificis LIPSIO literis, compellaret Senatus amplissimus. Natus is erat Creilshemii, noto Onoldinae ditionis oppido patre MATTHIA ALEXANDRO LIPSIO, Serenissimi Principis Arcario, Matre ANNA BARBARA WINTERBACHIA, an-

no CIↃ IↃC XXXVIII, die XVI Nouembris. Rudimenta ſtudiorum poſuit in illuſtri ad fontes ſalutares Athenaeo, duce inprimis MARTINO CLEMENTE KOEHLERO, unde CIↃ IↃC LVIII in Altorfinam primum, deinde elapſo biennio in Giſſenſem Academiam abiit. In iſta FELWINGERO, in hac SIRICIO praeeunte, ingenii atque profectuum ſpecimina, propugnandis e cathedra, ut mos eſt, idoneis argumentis, edidit. Quadriennio in Academiis exacto domum quum rediiſſet, ſequenti anno CIↃ IↃC LXIII ab illuſtriſſimo Comite Caſtellenſi eccleſiae Moerlbacenſis et Habelſeenſis Paſtor, conſtitutus, tribus annis poſt Rotenburgum migrauit. Commendatus eſt coetui ſcholaſtico ſolenni ritu die XVI Aprilis, anno CIↃ IↃC LXVI, et inauguralem de *paradoxa Ieſuitarum Grammatica, et inde naſcente adulterina Theologia*, diſſertationem recitauit, atque operas deinde ſcholaſticas ſtatim auſpicatus eſt. Paucorum menſium experientia deprehendiſſe ſibi videbatur LIPSIVS, libris, qui adhuc in manibus fuiſſent ſtudioſae adoleſcentiae accommodatiores ad eorum profectum poſſe ſubſtitui. Sed oneroſam plerisque futuram nouorum librorum comparationem ampliſſimi Scholarchae iudicarunt, veteribusque contentum eſſe voluerunt. Illud mirum videri poſſet, niſi commune multarum ſcholarum fuiſſet vitium, lectionem ſcripturae ſacrae in curiis ad hoc usque

que tempus aut plane non in uſu, aut negligentiſſime intermiſſam fuiſſe, quae, venerabili HARTMANNO annitente, ut quotidiana eſſet, effectum eſt. Contra, Logica ne ſecundi ordinis diſcipulis traderetur inpoſterum, quo plus temporis latinae linguae tribui poſſet, placuit. In Muſica docenda, ſolmiſatione, ut loquebantur, reiecta, abecedatione utendum circa haec tempora decretum eſt. In docendi etiam conſueta adhuc methodo innouata quaedam fuiſſe, ſatis certum eſt: quaenam autem illa fuerint, aut quae noua meliorque exiſtimata ſit methodus, non inuenio. Duobus et quod excurrit annis interiectis, LIPSIVS libello, cui omnes in Gymnaſio docentes nomina ſua ſubſcripſerant, ampliſſimis Scholarchis exhibito, queſtus eſt male ſe cum collegis audire, propter eam, qua hodie utantur, docendi rationem (wegen der heutigen didactic,) nouamque Grammaticam (HARTMANNIANAM ſignificabat) in curias introductam, Logicam ex ſecunda curia relegatam, et abecedationem pro ſolmiſatione receptam. Eſſe, qui hanc cauſſam, quare minus, quam ante, floreat ſcholaſtica res, criminentur eſſe. Petere ſe, ut catalogus Lectionum, quem vocant, conſcribatur, et de Logica, qua non niſi manuſcripta utantur, (Clauem philoſophiae HARTMANNIANAM pungit) cum tamen ſatis compendiorum typis exſcripto-

rum proſtet, aliquid certi conſtituatur. Lecto in venerandi Conſiſtorii conſeſſu eo libello, e veſtigio reſpondit venerabilis HARTMANNVS: Catalogum Lectionum dudum traditum a ſe eſſe Rectori. Rudimenta Grammaticae in uſum ſe claſſium inferiorum ex probatiſſimis quibusque praeceptis collegiſſe: neminem intercedere quo minus prima et ſecunda Giſſenſi utantur. Logicam, quam ipſe conſcripſerit, quod deſit qui ſumtus miniſtret, typis nondum eſſe excuſam. Sed operam ſe daturum, ut id propediem fiat. Logicam tempus latinae linguae in ſecunda claſſe impendendum adhuc praeripuiſſe videri, reducendam cum primum aliter ſe res dediſſent. Abecedationem quam ſolmiſationem eſſe faciliorem uſum docuiſſe, itaque retinendam. Alias eſſe oportere cauſſas quare parum vulgo proficiant adoleſcentes. Aliquot annis poſt, quum multorum ſermonibus iactaretur, paucos Gymnaſii ciues ea, qua par eſſet, latinae linguae cognitione deprehendi inſtructos, cauſas eius ignorantiae in curiis inferioribus eſſe quaerendas reſpondit LIPSIVS, in quibus omne propemodum tempus declinandi et coniugandi exercitatione, regulisque Grammaticae memoriter recitandis, conſumeretur. Suadere ſe, ut ZEHNERI ſententiae et SEIDELII Portula Latinitatis a pueris ediſcantur, quibus alii Catechiſmum latinum, vetuſto more, addi vole-

volebant. Sed nolo cuncta, quae eo tempore, quo LIPSIVS Rectoris munere functus est, accidere, aut querelas omnes, quae passim auditae fuere, aut, quae vitiosa crederentur, emendandi consilia, crebras item librorum mutationes, docentium discentiumque mores, sigillatim percensere, ne copia rerum, ut plerisque videtur, futilium, taedium lectori afferat. Vnum illud ad finem scriptionis properanti addendum est. Erat LIPSIO ut suum quoddam dicendi genus, ita suus quidam agendi viuendique mos, ac discipuli nescio quid in eo animaduertebant, nam et pueri interdum nasum rhinocerotis habent, cur idoneum eum putarent, cuius patientiam omnibus modis lacesserent. Quibus molestiis aliqua ex parte liberabatur, quum GOTTFRIDO WERNHERO, Viro Clarissimo, in locum eius suffecto, ipse Professoris titulo cohonestatus, non nisi Exemtos, quos vocabant, instituere et disputando inprimis exercere, a Senatu amplissimo iussus est. Ex eo tempore noua plane Gymnasii Rotenburgensis facies extitit, quam ob oculos lectoribus nostris ponere nunc non est animus. Illud potius agimus, quod huic scriptioni occasionem praebuit. Indicendus nimirum est solennis orationibus audiendis conuentus, quae, exploratis studiosae adolescentiae profectibus, recitari in auditorio noto solent. Primus sugge-

stum

ſtum conſcendet VIR SVMME REVERENDVS, EXCELLENTISSIMVS MVLTOQVE DOCTISSIMVS, DN. AVGVSTINVS MICHAEL, RÜCKERVS, ECCLESIARVM ROTENBVRGICARVM SVPERINTENDENS VIGILANTISSIMVS, CONSISTORIALIS ET SCHOLARCHA GRAVISSIMVS, ac *Memorabilia Pacis Weſtphalicae* paucis exponet. Tum nos, *de diligentiore, qui hodie viget, ſermonis noſtri vernaculi cultu* paucis diſſeremus. Poſtremo IOH. ADAMVS ALBRECHT, florentiſſimus ingenio adoleſcens, *Eruditionem ſine virtute eſſe vánam perniciosamque*, breui oratiuncula oſtendere decreuit. Generoſos igitur, Magnificos, Praeſtrenuos, Praenobiliſſimos Ampliſſimosque Reip. Proceres, ac reliquos omnium ordinum, variis titulis, honoribus, meritis condecoratiſſimos viros, omnesque praeterea, qui literis literarumque cultoribus literati ipſi fauent, ut craſtini diei ſolennitatem frequenti confluxu ſplendidiorem efficere, pro humanitate ſua, dignentur, ea, qua par eſt, obſeruantia petimus atque contendimus.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, a. d. XVII Apr. CIↃ IↃCC XXXVIIII.

# XV.

## Rerum ad Historiam Gymnasii Rotenburgensis pertinentium Particula sexta, eaque ultima.

Peruenimus superiori anno narrandis quibusdam memorabilibus, quae ad historiam Gymnasii Rotenburgensis pertinent, ad propiora aetati nostrae tempora, quibus tota propemodum eius ratio, quod ad primam curiam attinet, immutata est. Expectant iam lectores fortasse nostri, ut, quae inde ab eo tempore contigerunt, paullo copiosius exponamus, quod non longe a memoria nostra remota, notiora ea nobis, quam vetustiora illa, et cognitu iucundiora, esse oporteat. Sed quum in omni rerum gestarum commemoratione difficile sit satisfacere eorum, qui ipsi rebus interfuere, iudicio, veniam facile consecuturos nos speramus, si breui earum tantummodo rerum narratione defungamur, quae eundem omnibus peraeque adspectum praebent.

Quum igitur inde a Libauii discessu primae curiae discipuli non nisi uno Rectore usi fuissent magistro, iam terni doctores

ad

ad eos erudiendos poliendosque operam ſuam conferre coeperunt. Primus erat LVDOVICVS GOTTFRIDVS WERNHERVS, V. Cl. qui anno CIↃ IↃC LXXXIII, menſe Maio, FRIDERICO LIPSIO in Gymnaſii regendi prouincia ſucceſſit, atque Profeſſoris etiam titulo, incertum quo anno, auctus eſt, poſtquam duodeuiginti annos Ertenhuſae, vicino ditionis Hohenloicae pago, paſtoris munere functus erat, propter ſingularem, qua florebat, eruditionis famam huc euocatus. Erat is earum rerum, quibus informari ad humanitatem, et ad maiora praeparari adoleſcentia ſolet, cognitione abunde inſtructus, ac praeterea grauitatis quandam auſteritatisque perſonam ei natura impoſuerat, quo aptior ad exſequendas non ſine fructu officii ſui partes exiſtimabatur. Itaque ſeueriore paullo diſciplina coercere adoleſcentiam ſtudebat, et per tergum aditum ſibi ad rationem animumque diſcipulorum ſolebat quaerere. Saepe in ore ei erat illud: Tantum ſcimus, quantum memoria tenemus. Quod decretum ſecutus, hanc animi facultatem, ediſcendis diſciplinarum praeceptis, ſummo ſtudio excolere ſuos iubebat. Hic in ſcholis ordinariis initia Theologiae, Dietericianae Catecheſeos filum legens, rudimenta Logicae, Oratoriae et Ethicae, Bechmanno, G. C. Kirchmaiero et Ittero auctoribus; Hiſtoriam uniuerſalem Hildebrando duce; tra-

tradebat; ac legendis Iustini Historiarum, Ouidiique Metamorphoseon libris Latinae; Nouo vero Testamento graeco; et Theognide explicando, graecae linguae exercebat studium; Hebraeae quoque, Chaldaicae et Syriacae elementa, Schickardi et Spindleri Horologiis, ac Dilherri rudimentis et Eclogis usus, volentibus priuatim proposuit, scribendi item exercitia necessaria instituit. FRIDERICVS LIPSIVS Professoris munere; ut superiore libello diximus, cohonestatus; ad uberiorem Theologiae et Philosophiae cognitionem, Exemtorum, ut dicebantur, ordinem, i. e. Selectos primae curiae discipulos, informabat, atque ad disputandi solertiam paullatim adsuefaciebat. *) Libri, quos explicabat; hi fere erant: Theologia Positiua B. D. Hartmanni et D. Koenigii, Frommii Synopsis Metaphysica, Sperlingii Synopsis Physica, Nottnagelii Synopsis mathematica, cum Tabellis Astronomicis Sturmii, Ethica Itteri, Politica s. regia scientia Micraelii, Historia uniuersalis Hildebrandi, Iohannis Meieri Gnostologia, Noologia et Pneumatica. Tertius accedebat Vir Venerabilis, SEBASTIANVS KIRCHMAIERVS, Vffenhemii, Onoldini Principatus oppido, natus, qui, quum in Onoldino primum, deinde in Ratisponensi etiam Gymnasio, bonis literis operam daret, commilitonibus suis ingenii bonitate, in studiis adsiduitate,

tate, et profectuum magnitudine, non sine multorum inuidia, palmam praeripuisse memoratur, atque in Vitembergensi etiam Academia, quam frater eius, V. C. Ge. Casp. Kirchmaierus, Orat. Prof. iam tum docendo illustrabat, talem se praebuit, ut omnium oculi in eum conuerterentur. Qua eruditionis fama permotus Amplissimus Reip. Ratisponensis Senatus, ad suscipiendum Professoris in Gymnasio eius urbis munus, Vitemberga eum arcessiuit, cui magno, etiam illustrium, qui comitiis Imperii intererant, virorum applausu per plures annos praefuit. Tandem, quum vacuefacta morte Ven. Io. Lud. Hartmanni, supremi sacrorum apud nos Antistitis, Consistorialis et Scholarchae prouincia, Amplissimus Prudentissimusque Senatus Virum circumspiceret, qui dignus videretur, quem Hartmanno successorem daret, egregia sua KIRCHMAIERVM decora ita Patribus commendarunt, ut eum potissimum amplissimoque grauissimoque muneri praeficiendum censerent. Factum id est anno CIↃ IↃC LXXXI. Is igitur, quod erudiendae adolescentiae, cui dudum adsuetus erat, operam non tam molestam, quam iucundam experiretur, quidquid ordinariae supremi sacrorum Antistitis functiones vacui temporis ei relinquebant, cum publicae tum priuatae adolescentiae institutioni tribuebat, ac iam vastos doctrinae sanctioris cam-

campos cum iis emetiebatur, iam in Philoſophorum ſpatiis decurrebat, iam oratoriis eos continebat exercitationibus. Quin et ad Iurisprudentiae et Medicinae ſtudium recte ingrediendum viam pluribus commonſtraſſe accepimus. Diſputationibus etiam, morem Academiarum ſecutus, publice propoſitis,**) provectiores, quantum profeciſſent, demonſtrare voluit, quarum quae argumenta fuerint ex titulis, in inferiori margine appoſitis, patere poteſt. Si quis praeterea cognoſcere aueat, quae, qua methodo in ſingulis Gymnaſii curiis doceri diſcique placuerit, qui libri in manibus puerorum fuerint, ei abunde ſatisfaciet docendorum ac diſcendorum index ***) eo ipſo anno, quo LVD. GOTTFRIDVS WERNHERVS huc acceſſit, publica auctoritate promulgatus. Circa idem fere tempus Leges ſcholaſticae docentibus pariter ac diſcentibus ſcriptae, quae poſtea ſemel iterumque, ac poſtremo quidem exeunte ſuperiori ſaeculo, anno CIↃIↃCLXXXXVIIII, fuere recognitae. Multa iis legibus praeclare conſtituuntur, multa magiſtris pariter atque diſcipulis praeclara ſuggeruntur monita, quae nemo eorum ſine fructu ſequatur, ſine damno negligat. Ac videbantur tum temporis Scholae noſtrae rationes praeſtare multis aliis, et magnam praebere adoleſcentibus in omni literarum genere proficiendi opportunitatem. Ita-

que plures ad nos, tanquam ad mercatum quendam bonarum artium, hinc inde mittebantur adoleſcentes, atque in iis quidam ſplendidiſſimis orti natalibus, ad maximos poſtea honores dignitatesque prouecti,****) qui vel Ven. KIRCHMAIERI, vel WERNHERI conuictu utebantur. Sed iſtius obitus, huius ingraueſcens aetas, et mutata ſenſim adoleſcentiae nobili genere natae educandae, atque ad maiorem fortunae cultum excitandae ratio, ad antiquam res Gymnaſii conditionem redegit. Quum annus CIↃ IↃC LXXXXII, qui erat centeſimus, ex quo aedes Gymnaſii exaedificatae, coetusque diſcentium ſolenni caerimonia in eas erat e coenobio, quod a Franciſco nomen habet, traductus, feliciter illuxiſſet, memoria eius rei ſaecularis feſto ritu, ſermonibus nimirum duobus ſacris in aede D. Iacobi habitis, et duabus Orationibus latinis in Gymnaſio recitatis, diſtributis item inter diſcipulos numis in eam rem cuſis, conuiuioque publico, cui quidquid literatorum in urbe erat hominum adhibebatur, iuſſu Ampliſſimi Senatus celebrata eſt. *****) LVDOVICO GOTTFRIDO WERNHERO anno, quod agimus, ſaeculi decimo quarto, menſe Iunio, quum triginta amplius annos Gymnaſio magna cum ſua laude praefuiſſet, annumque ferme expleuiſſet aetatis ſeptuageſimum primum, ſuffectus eſt ei V. Cl. WOLFGANGVS FRIDERICVS LEHMVS, qui Con-

Conrectoris adhuc ſpartam per plures annos ornauerat, Vir neque eruditionis varietate et copia, neque fide et docendi dexteritate, ulli anteceſſorum ſuorum ſecundus. Sed is quidem maturius, quam optabatur, duobus nimirum annis poſt, quam nouum ingreſſus erat ſtadium, ad vitae laborumque metam peruenit. Ac nos quoque iam terminum, quem hanc de Gymnaſio noſtro narrationem exorſi, animo conſilioque ipſi nobis praefiniuimus, nos attigiſſe laetamur. Ceterum veniam noſtros nobis Lectores daturos ſperamus, ſi aut pauciora, aut tenuiora, quam vellent, in medium attulimus: neque enim plura, aut alia, tradere licuit, quam inquirendo cognoſcere potuimus.

Reſtat, ut illud agamus, cuius cauſſa haec tabula publice proponenda fuit. Luſtratis nimirum, ex legum ſcholaſticarum praeſcripto, ſingulis Gymnaſii curiis, diſcipulorumque examinatis profectibus, finis huic literariae ſolennitati, orationibus publice habendis, imponendus eſt. Primus autem VIR SVMME REVERENDVS EXCELLENTISSIMVS AC LONGE DOCTISSIMVS, DOMINVS AVGVSTINVS MICHAEL RÜCKERVS, ECCLESIARVM ROTENBVRGICARVM SVPERINTENDENS VIGILANTISSIMVS, CONSISTORIALIS ET SCHOLARCHA GRAVISSIMVS, *de Agapis Chriſtianorum* breuiter diſſeret. Tum nos coeptum anno ſupe-

ſuperiore argumentum *de diligentiore, qui hodie viget, ſermonis noſtri vernaculi cultu*, perſequemur. Tandem GEORGIVS CHRISTIANVS RüCKERVS, qui adhuc modeſtiam et diligentiam nobis ſuam ſatis probauit, *a vitiis liberare, animumque emendare, philoſophiam non poſſe*, quod ipſe ſibi dicendi argumentum delegit, breui oratiuncula pro viribus oſtendere conabitur. Ad hunc actum praeſentia ſua condecorandum, Generoſi, Magnifici, Praeſtrenui, Praenobiliſſimi Ampliſſimique Reip. Proceres, et quicunque propenſo in literas et hanc literarum officinam ſunt animo, ſi per grauiora negotia licuerit, frequentes conuenire velint, ea, qua decet, pietate et humanitate rogamus.

P. P. d. VIIII April. CIↃ IↃC CL.

---

*) *Diſſertationes Lipſianae, quae quidem ad manus noſtras peruenerunt.*

1668. De Imperio Romano-Germanico, quare dicatur ſanctum, poſitiones hiſtorico-politicae, Reſp. Chriſtiano Philippo Leutvvino, *poſtremo Superintendente Waldenburgico.* pl. 1.

1679. Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi animum irenicum atque pacificum diſſertatione publica eaque humillima ſubmiſſiſſime veneratur Frid. Lipſius, G. R. R. Reſp. Ioh. Michaele Raabio, *poſtea Conſule Reip. Rotenb. Magnifico.* pl. 2.

1683. Monumenta quaedam memorabilia atque ſingularia Rotenburgo-Tuberana, in memoriam

am nuperae vocationis ad nouum officium. R. Nicol. Heglero. Poſſidet Dn. Schaeferus, Diac.

1685. Tredecim Theſes miſcellaneae. Reſp. Ioh. Ieremia Kern, *Diacono tandem Onoldino*. pl. 1.

1687. Dodecas Poſitionum miſcellanearum. Reſp. Ge. Michaele Lehmo. *Archi-Diacono deinde Ohrdruf.* pl. 1.

1683. Theſes duodecim. Reſp. Ioh. Ge. Herrnbauero, *poſt Archi-Diacono Rotenburg*. pl. 2.

1688. Theſes miſcellaneae, tempori quadrageſimali ſ. accommodatae, Reſp. Frid. Ern. Hartmann, *poſt Concionatore Veſpertino, Conſiſtoriali et Scholarcha.* pl. 1.

1689. Exercitium diſputatorium, e lectionibus publicis profeſſoriis, Reſp. Ge. Frid. Kliberero. pl. 1.

1690. Theſes miſcellaneae, Reſp. Ioh. Chriſtoph. Stellvvagio, *Paſtore ad D. Leonhardi.*

1691. Quaeſtiones miſcellaneae, Reſp. Ioh. Dan. Krauß, *Conſule nunc Seniore Magnifico, quem Deus Reip. ſuisque, omnibus rebus florentem, quam diutiſſime ſupereſſe iubeat.* pl. 1.

Theſes miſcellaneae. Reſp. Mich. Paulo Fuchſio. pl. 1.

1692. Aſſertiones, Phyſica, Geographica, etc. Reſp. Ge. Bernhardo Hoffmanno. pl. 1.

1692. Diſputatio publica de mirabilibus Dei iudiciis, phyſice, ethice, politice, hiſtorice et geographice conſideratis. Reſp. Nicolao Welſchio, *nuper Concionatore Veſpertino, Conſiſt. et Scholarcha.* 2. pl.

1693. Quaeſtiones miſcellaneae de annis Iubilaeis, Reſp. Ge. Frid. Roſenbach, *poſtea Paſtore in Adelshofen.* 3. pl.

## **) *Dissertationes Kirchmaierianae, quas reperire potuimus.*

1692. De Moribus antiquis et nouis dissertatio, Auct. et Resp. Ioh. Gottfr. Adami, *nuper Aedilis et Senator Reip. Amplissimus.* 2. pl.

Dissertatio Biblica de Rubo ardente, ex Exodi III, 2-5. A. et R. Frider. Herrnbaur, *postea Assessor Consistorii et Diaconus Dinckelsbuhl.*

1693. Diss. de Hominis statura, A. et R. Ioh. Wilhelmus de Millenau, *Praeceptor Classicus.* 3. pl.

1695. Diss. de somniis vere diuinis, A. et R. Ioh. Petrus Iacobi, *postremo Pastor in Schweinsdorf.* 3. pl.

1696. De Elephante varie considerato Exercitatio, A. et R. Christoph. Frid. de Seckendorff, *maximis deinde in Aula Onoldina perfunctus honoribus, eruditum vetustae gentis suae, quin totius Nobilitatis franconicae, decus.*

De Ciuilitate et Grauitate morum. A. et R. Ioh. Paulus Adamus Krauſseneck. pl. 3.

Diss. Historico-Biblica de Melchisedeco. A. et R. Ioh. Andreas Mertz. *Diaconus postea Rotenb.* 4. pl.

Exercitatio Theologica de Fide miraculosa. A. et R. Andreas Uhl, *deinde Pastor in Ohrenbach.* 2. pl.

1697. Exercitatio Theologica de Coniugio Apostolorum. A. et R. Ioh. Anton. Hornung, *Praeceptor tertiae Classis emeritus.* 3. pl.

1698. Exercitatio politica de Asylis. A. et R. Ioh. Ge. Bezold, *Senator nuper Reip. Amplissimus.* 3. pl.

Diss.

Diſſ. Hiſtorico-Biblica, de Viro mirabili Moſe. A. et R. Ioh. Chriſtoph. Stellwag, *Diaconus poſtea Rotenb.* 3. pl.

1699. Diſſ. de variis Gentium moribus et indole. A. et R. Frid. Lud. von Jarheim. 3½. pl.

Diſſ. Biblica de Arbore vitae, ex Gen. II, 9. A. et R. Ioh. Simon Zierlinus, *Praeceptor deinde IIII. Claſſis.* 2. pl.

Diſſ. Biblica de Columna Nubis et Ignis, ex Exodi XIII, 21. 22. A. et R. Vitus Henr. Flurer, *hodie Paſtor in Windelſpach.* 2. pl.

Exercitatio Phyſica de Zoophytis, ſeu Plant-Animalibus, A. et R. Carol. Frid. Höchſtetterus, *poſt Med. Doct. et Phyſicus Ordinarius Rotenburg.* 4. pl.

1700. Diſſ. Hiſtorico-Biblica, de Bileamo Mago et Propheta Dei, A. et R. Ioh. Steph. de Millenau, *poſt Diaconus Rotenb.* 2½ pl.

Diſſ. Biblica de arbore ſcientiae boni et mali, ex Gen. II, v. 9. A. et R. Ioh. Wendelinus Seybothius, *Paſtor deinde ad D. Leonhardi.*

*Addimus has Wernheri, quae nobis innotuere.*

1688. Quaeſtiones miſcellaneae. A. et R. Erneſto Chriſtophoro von Balhorn. 3. pl.

1701. De Millenaria Eccleſiae felicitate. R. Ge. Conradus Rothius, *Paſtor nuper in Gattenhofen.* 2. pl.

1706. De Pſychodocheis, Reſp. Ge. Chriſtoph. Falco. 1. pl.

1707. Theſes de ſeſſione Chriſti ad dextram Dei. Reſp. Ioh. Iac. Furckelius, *poſt Paſtor in Obernzenn.*

***) Lectiones Gymnasii Rotenburgo-Tubarini per singulos dies et horas distributae An. MDCCXXXIII. 2. pl.

****) Inter splendida alia Gymnasii quondam nostri decora est Vir illustris, Ioh. Balthasar, Liber Baro de Wernher, Lud. Gottfridi filius, quem virtus et eruditio ad dignitatem consiliarii Imperialis aulici euexit. Et fuere et sunt etiamnum alii ampliſſimi eruditiſſimique Viri, qui scholam pariter nostram ac Wernherianum nomen illustrant.

*****) Iubilaeum Scholasticum, oder Rotenburgisches Solennes Schul-Jubel-Fest, als nach Verflieſſung 100. Jahren, da ehedessen im Jahr 1592. den 7. Sept. st. v. hiesiges Gymnasium von E. Wol-Edlen und Hochweisen Magistrat mit grossem Kosten erbauet, erstmaln eingeweyhet, Nun aber dessen Gedächtnuß jetzt-gedachten 7. Septembr. Anno 1692. erfreulichst begangen, und so mittelst offentlich-gehaltenen Zweyen Predigten bey der Haupt-Kirchen zu St. Jacob, als auch Zweyer Orationen auf dem gewöhnlichen Schul-Saal Selbiges celebrirt worden, wie solche hierauf ordentlich folgen. Auf Obrigkeitl. Grosgünstige Verordnung.

# XVI.

# XVI.

## Parentum officia.

Quae et magiſtris ad humanitatem adoleſcentes informaturis, et diſcipulis ſeuera lege proficere cupientibus, facienda incumbant, ſuperioribus annis adumbrare quodammodo conati ſumus. Supereſt, ut, quae parentibus etiam, iisue, qui parentum loco ſunt, ſi ſuos eum, quem par eſt, fructum ex inſtitutione publica capere, neque ſpem ſuam cum ſuorum, irreparabili plerumque, damno deſtitui velint, obſeruanda ſint officia, breuiter delineemus. Nam etſi eum in finem inſtitutae ſunt ſcholae, ut, qui educandis erudiendisque liberis ſuis ipſi vacare non poſſunt, habeant, in quorum humeros partem tam moleſti, ut plerisque videtur, oneris neceſſariique muneris reiiciant: male tamen utique ſuis conſulere, qui, quum eos praeceptoribus commendarunt, liberatos ſe omni cura opinantur, ſociasque manus his iungendas non meminere, aut certe perpetuum illum et aequabilem, cuius maximum ad rectam educationem momentum eſt, et quo domi neglecto fere fruſtra in ſcholis ſudamus, inſpectionis et diſciplinae tenorem non

satis diligenter seruant, res ipsa non loquitur, sed omnino clamat.

I. Primum autem omnium et maximum officium illud est, ut, quos sub doctoribus publicis optatos in moribus literisque progressus facere volumus, eos domi etiam summo studio ad pietatem erga Deum instituamus. Non opus est verbosa demonstratione rei, quae si, quemadmodum ab omnibus conceditur, ita a nemine negligeretur, recte omnia se haberent. Itaque illud tantum hoc loco monendum censemus, fieri vix posse, ut adolescentes obedientiam diligentiamque debitam praestent, et ceteras virtutes homini literarum studioso necessarias colant, vitia autem contraria, et contumaciam desidiamque fugiant, nisi pectus religione Numinisque timore habeant imbutum. Quomodo autem imbutum habebunt, si ea, quae in schola, tanquam cuiuis homini, qui aeternum beatus esse cupiat, credenda et agenda, scriptura sacra duce, inculcantur, alibi aut prorsus contemni, aut longe infra dignitatem suam aestimari, aut frigide, nec aliam ob caussam, quam quoniam sic mores ferunt, suscipi animaduertant? Sic quidquid boni seminis in animos teneros altera hora spargitur, id altera facile suffocabitur, ut ad frugem peruenire non queat.

II.

II. Post pietatem proximum est, ut curetur, quo de optimorum studiorum utilitate et necessitate recte sentiant, qui iis operam dare iubentur. Parum vulgo efficiunt, quae in scholis ea de re, quantumuis diligenter, traduntur. Paucorum enim animi, propter iudicii imbecillitatem, ratione et argumentis conuincuntur. Itaque a praeceptoribus non aliter commendari doctrinam, quam ab institoribus merces suas arbitrantur. Iam si praeterea voculae quaedam incautius prolatae ad aureseorum forte accidant, iis tanquam laetissimo aliquo sensibusque suis gratissimo nuncio exhilarati, tristes illas et ingratas de studiis paullo seuerius colendis cogitationes continuo ex animo eiiciunt, ac eo, quo tendunt, pluribus viis accedi posse persuasi, nisi ex his minime salebrosam eligant, parum sapienter se facturos credunt. Huic malo nihil rectius, quam parentum honoratiorum auctoritas, qua plurimum duci adolescentes solent, mederi potest. Ii, si suo suffragio, quae in scholis docentur, confirment, et illud inprimis animis suorum affigere studeant, ut bonam corporis valetudinem etiam illi, quibus ea ad victum quaerendum nihil opus est, tamen appetunt, propterea quod sine ea vita iucunda esse non potest: ita et veram eruditionem, in qua quaedam quasi mentis sanitas inest, ingenuo homini esse sectandam, quo-

quoniam in omni vita plurimum honeſtae voluptatis, utilitatis, dignitatis affert, etſi vel maxime etiam ſine ea honores diuitiaeque comparari poſſint, hoc igitur, ſi ſuis probauerint, tum utique veriſimile eſt, plurimos ad amanda et tractanda diligenter ſtudia excitari poſſe.

III. Quemadmodum de ſtudiis, ita de praeceptoribus etiam, ut bene exiſtiment adoleſcentes, ſedulo parentes prouidebunt. Non eorum eruditionem, non docendi rationem, ne quidem ſi quid iure in ea deſiderari forte queat, audientibus diſcipulis reprehendent, aut ſugillabunt, niſi eadem opera imprudentiam ipſi ſuam prodere velint. Nam quum eum in finem, ut neceſſaria primae aetati diſcant, ſuos in ſcholam mittant, omnia etiam diſcendi impedimenta remouere debent. Omnium autem longe maximum obiiciunt, qui de fama doctorum temere detrahunt. Quis enim aures animumque ad ea, quae a magiſtro dicuntur, cum diſcendi quadam cupiditate aduertet, niſi recta et ſalutaria, et ad captum iuniorum accommodate, ab eo doceri confidat? Poteſtne autem confidere, ſi eorum, quos libenter ſequitur, ſiniſtra de eo iudicia, ſiue vera ſiue falſa, cognouerit? Quis adoleſcens vel paullulum a labore abhorrens non utraque manu hanc ignauiae inſcitiaeque ſuae excuſandae occaſionem arripiet? Ceterum, ſi quis rerum

pe-

peritus praeceptores errantes, homines enim esse non negamus, comiter in viam reducendos, aut prudenti consilio monendos censuerit, quin grato d animo quicunque boni viri sunt, accepturi sint, non dubitamus.

IV. Multum porro commodi nascitur, ac multum contra mali cauetur, quum de filiorum studiis, diligentia, moribus, consilia saepe cum magistris parentes communicant, et quales se gerant studiose exquirunt, neque aegre ferunt, eo, qui bonos viros decet, candore, verum sibi, etsi aliquando ingratum, modeste aperiri. Nulla certe adolescentes in officio continendi, nulla eorum profectibus consulendi, nulla varias peccandi occasiones praescindendi, aptior est ratio. Qui raro aut nunquam de se quaeri sciunt, ii plerumque negligentius agere, et minus dicto audientes esse, et mendaciis fallere suos consueuerunt, saepiusque ita corrumpuntur, ut medelae locus nullus supersit. Occurrent nobis fortasse quidam, hoc praeceptorum esse munus, ut parentes, si quid opus sit, certiores faciant; horum fide et prouidentia se niti; si fallantur, nullam suam esse culpam. Sed cogitent hi quaeso, primum, saepe non leuibus de caussis fieri posse, ut nunciari ipsis per alios nihil queat. Deinde odiosum esse perpetuum quendam indicem aut accusatorem agere, eaque sedulitate non raro

raro longe aliud, quam volebamus, effici. Vt alia, quae copioſe hoc loco dici poterant, taceamus.

V. Mature aſſuefaciendi ſunt adoleſcentes, ut vires ipſi ſuas experiantur, ſecretum petant, commententur aliquid et ſtilo conſignent, legant aliquid, quod profuturum ſit, audita repetant, et ſi quae his ſunt ſimilia: quas exercitationes domi potiſſimum inſtitui res ipſa iubet Has qui neglexerit, nunquam, ut par eſt, proficiet; nunquam in ſuccum et ſanguinem conuertet, quae in ſcholis accepit; nunquam conſuetudinem illam, collectis animi viribus, in una aliqua re attentionem ſatis diu defigendi, ſuoque Marte aliquid conandi, contrahet: quum tamen nullum ſit ſtudiorum, nullum vitae ciuilis genus, quod ea carere queat, in quo argumenta et negotia grauia, acremque meditationem poſtulantia non occurrant.

VI. Si, quibus id commodum eſt, quotidie ſciſcitentur ex ſuis, inter coenam forte, aut antequam cubitum eant, quid eo die audierint, legerint, ſcripſerint, eaque occaſione ad accuratam temporis rationem habendam, ad obedientiam, ad literas ſerio amplectendas, ad omne officii genus faciendum eos adhortentur, fieri non poteſt, quin egregium huius ſuae curae paternae fructum aliquando videant. Praeclare Columella: *nulla eſt vel nequiſſimi homi-*

*hominis amplior cuſtodia, quam quotidiana operis exactio.* Lib. X, 1, 26.

VII. Non danda eſt adoleſcentibus nimia ludendi animique recreandi licentia, neque ut, qua ratione ipſi volunt, tempus fallant temere concedendum: aliter otiandi dulcedine ita capientur, nugisque et voluptatibus ita implicabuntur, ut ad ullam rem ſerio agendam, niſi magna moleſtia, per omnem vitam animum appellere, non poſſint. Itaque, qui leuibus ingeniis plurimum indulgent, maximam, ſi bene rem reputes, ipſis crucem figunt. Sed quum perpetuam in literis contentionem neque mens hominis, adoleſcentis inprimis, neque corpus ferre poſſit, de commoda aliqua ratione, ſine morum ſtudiorumque detrimento, ſanguinis ventilandi animique relaxandi, ut cogitent, quorum id intereſt, vehementer optari debet. Quibus contigit inueniſſe aliquid, quo liberi ſui iam inde a prima aetate iucunde ſimul et utiliter occupari, et ab otio, etiam non ſentientes, abſtrahi queant, ii habent profecto, quod maximum ad rectam educationem momentum afferat.

VIII. Qui amant ſuos, et in literarum ſtudio facile feliciterque progredi cupiunt, ii diligenter caueant, ne ad ſuperiorem aliquam claſſem prius eos promoueri curent, quam, quae in inferiori tractantur, probe didicerint. Dici non poteſt, quantopere prae-

praematurae aſcenſiones profectus diſcentium remorentur, quantumque per totum curriculum ſcholaſticum impedimenti iis inferant. Nam quoniam imparati ad difficiliora ſtudiorum puerilium penſa accedunt, moleſtiſſimus ipſis efficitur diſcendi labor, et niſi multum ingenii ac diligentiae attulerint, facile ſpem conatumque omnem abiiciunt. Praeceptores, quantamcunque operam dent, ut incommoda feſtinatione accepta ſarciantur, vix tamen quod petunt aſſequuntur, et raro abortiuos illos ita enutriunt, ut conualeſcant.

Plura non addimus, quoniam et haec, quae diximus, ita ſunt comparata, ut, quae deeſſe videbuntur, nullo negotio ex iis deriuari, et ſi quae fortaſſe explanatiora deſiderantur, aliunde *) repeti poſſint. Ceterum, tametſi reperias, qui haec tanquam parua contemnant atque explodant, facile tamen prudentiores agnoſcunt, fundamenta ea eſſe omnis emendandae ſalubriterque conſtituendae rei ſcholaſticae, qui-

*) *V. g. ex* ROLLINI *praeſtantiſſimo libro, cui titulum fecit:* De la maniere d'enſeigner et d'étudier les belles lettres, *eiusque To. IV, p.* 480, *ſeqq. edit. Amſtelod.* 1732. *ubi profeſſa opera de officiis parentum agit. Item ex* GOTTFRID. HOFMANNI Wohlmeinenden Vorſchlägen an Chriſtl. Eltern zu glücklicher Erziehung der Jugend; *Et ex libello, qui nuper regio iuſſu ſcriptus et editus eſt, h. t.* Schul-Ordnung vor die Churfürſtl. Braunſchweig-Lüneburgiſche Lande, *Nr.* XXVIII.

quibus recte beneque positis, firmum pulchrumque aedificium, opera alacrium peritorumque artificum, qui ab opere faciendo non abhorrent, ecclesiamque Christi et rempublicam quam ornatissimam florentissimamque cupiunt, Deo laboribus ipsorum benedicente, exsurgere poterit. Ad quam rem, quod suum est, liberaliter conferunt bona et salutaria instituta, fulciendis scholarum rebus sapienter destinata, in quibus haud postremum locum crebra profectuum adolescentiae exploratio obtinet. Cui solennitati in hoc nostro quoque Lyceo per hosce dies peractae, cras, hora post meridiem prima, volente Deo, orationibus publice recitandis coronis imponenda est. Et primum quidem VIR SVMME VENERABILIS, CHRISTOPHORVS LVDOVICVS HARTMANNVS, ECCLESIARVM ROTENBVRGENSIVM SVPERINTENDENS *de necessitate et utilitate studii literarum ac scientiarum* exponet. Tum nos *de re Turcorum Persarumque literaria* breuiter disseremus. Tandem GVSTAVVS DAVID Mertz, Reipublicae Alumnus, qui moribus diligentiaque sua omnibus, qui eum norunt, adhuc satis fecit, *de Philosophiae ad Theologiam utilitate*, quod argumentum ipse sibi delegit, pro captu suo verba faciet. Proceres igitur Reip. Magnificos, Praestrenuos, Praenobilissimosque, tum et reliquos omnes bonarum artium,

Gymnaſiique noſtri, Patronos atque Fautores, perquam obſeruanter amanterque rogamus, ut praeſentiam ſuam ad modicum temporis ſpatium nobis commodare, et iuuentutis ſcholaſticae ſtudia ſibi curae cordique eſſe, iſto beneuolentiae genere teſtari ne grauentur.

Rotenburgi ad Tubarim, P. P. die IX April.

CIↃ IↃCC XXXVIIII.

## XVII.

### Senſuum uſus diſcenti non negligendus.

Auctor et opifex huius uniuerſi, Deus, hominem ut anima omnis mortalis concretionis experte, et corpore affabre efformato, ſic mirabili quadam cognitionis rationisque facultate, et vario ſenſuum miniſterio, pro ſumma ſua ſapientia, inſtruxit et exornauit. Ac rationis quidem officium quum latiſſime pateat, veri tamen inueſtigatione potiſſimum continetur: Sentiendi vero inſtrumenta ſuppeditant menti quaſi materiam, in qua ſe exerceat, perceptionumque iucunditate efficiunt, ne ea corpori tanquam moleſto cuidam carceri incluſa ſibi videatur, atque ad corporis neceſ-

neceſſitates ſunt accommodata. His indulgere pars longe maxima hominum, iisque non uti tantum, ſed etiam abuti ſolet, voluptatibus, quas praebere poſſunt, propemodum ſolis intenta. Rationem eruditi ſuo ſibi modo colendam ſumſere; mentemque in veritate cognoſcenda a corporis commercio quam longiſſime ſtuduerunt abducere; felicitatem ſummam in contemplatione poſitam eſſe exiſtimantes. Quidam etiam falli ſenſus magnopere, et in errores inducere vix eluctabiles ſtatuerunt, ac propemodum infra dignitatem ſuam depreſſerunt. *) Factum hinc inprimis videtur, ut multi ea, quae ſenſibus miniſtris erant diſcenda, ſpeculando potius, quam experiundo, cognoſcere conarentur: quem errorem Scholaſticos in Phyſica tractanda commiſiſſe non ignotum eſt. Atque is tam altas in mentibus hominum radices egerat, ut, quum ſocietas regia Londinenſis experimentis arcana naturae detegere, nouo auſu, inciperet, tot aduerſarios reprehenſoresque nacta ſit, qui ſtudium illud Eccleſiae et Reipublicae periculoſum dicerent, ut, quae THOMAS SPRAT **) in hiſtoria eius ſocietatis copioſe ea de re commemorat, ſine admiratione legi non poſſint. Neque vero ſenſuum tantum externorum uſus in veritate cognoſcenda magis, quam par



*) Vid. IO. PE. DE CROSA Syſt. Log. P. I. S. I. C. IV.
**) Hiſtoire de la Societé Royale, P. III. tota.

erat, neglectus est : Sed sensus etiam interni, quo ea, quae intra mentem nostram eueniunt, aduertimus, exigua ratio habita. Natae hinc sunt infinitae et steriles plane disputationes, in Theologia et Ethica praesertim; quae, quo subtilius ab hominibus experientia destitutis excutiebantur, eo magis a veritate et utilitate discessum est. Quantum ex hoc peruerso utriusque facultatis, sentiendi nimirum et ratiocinandi, usu et eruditioni et pietati damnum illatum fuerit, facile, qui volet, deprehendere potest. Qua de re quidem copiosius disputandi locus hic non est. Illud nunc solum monemus, rationis quidem culturam non esse debere in adultioribus, quam nunc est, remissiorem: sed sensibus simul, et internis et externis, seu experientiae et praxi rerum, in adolescentia instituenda plus negotii dandum videri, quam vulgo fieri solet. *) Non iam dicam eam esse multarum rerum naturam atque conditionem, ut, nisi sensuum instrumentis admoueantur, earum ideae inuehi in mentem nullo modo possint; easque ipsas ideas, quas simplices quidam appellant, esse initium et originem omnis humanae cognitionis. **) Nam has inde a pueritia nos ex rebus circumiectis

*) Vid. libri modo laudati P. III. Sect. IV, cuius inscriptio:
L'avantage d'une education experimentale.
**) IOH. LOCKIVS de Intell. hum. L. II, c. 2.

ctis haurire, neque quenquam esse, qui sensibus utatur integris, quin necessaria harum copia instructus sit, nemo temere negauerit. Sed hoc diligenter considerandum putamus, sensus et experientiae opera vehementius percelli mentem, et multo maiori luce colluſtrari, et perfici adeo cognitionem nostram, ut, quae notiones antea inanibus picturis et umbris fuerant simillimae, nunc demum spiritu quasi animari, et viuere videantur. Vnde fieri solet, ut multi his solis veram rerum notiam tribuant, qui Praxin cum Theoria coniunxerunt. Accommodate ad hanc sententiam DAVID CHYTRAEVS, *) Theologus probatissimus, „ Cum enim Theologia, „ inquit, non in sola cognitione et scien„ tia, sed in verae pietatis usu et praxi „ praecipue posita sit: Non satis est men„ tem praeclara eruditione instructam, et „ linguae plectrum volubile esse, nisi in „ voluntate et corde veri motus pietatis, „ poenitentiae, fidei, consolationis, pa„ tientiae, inuocationis, dilectionis Dei et „ proximi existunt. Nec vero, quid et „ quales sint hi motus, intelligi potest, nisi „ in seriis doloribus, angustiis et tentatio„ nibus sensum aliquem et pauorum, et „ consolationis, et fiduciae ac laetitiae in „ Deo acquiescentis percipiamus.„ Philo-

 sophi

*) In oratione de studio Theologiae recte inchoando, art. X. de cruce, p. 20, b. edit. Witeberg. 1570. 8.

ſophi quoque autoritatem ſi quis requirat, damus Illuſtris CHRISTIANI WOLFII *) verba: „ Neque ipſis (Sinis) ignotum erat „ absque exercitio ne veras quidem rerum „ moralium notiones comparari.„ Qui igitur in literarum ſacrarum cognitione et morum ſcientia volet proficere, is non rationis tantum trutina expendere dogmata, argumentisque munire et memoriae mandare, ſed ſenſum et guſtum aliquem eorum adipiſci ſtudeat neceſſe eſt. Earum porro rerum, quae ſenſibus externis ſubiectae, et veritatis eruditionisque cupido cognoſcendae ſunt, ut non nudas deſcriptiones, easque forte ab eiusmodi auctoribus confectas, qui ipſi quoque non niſi ex libris ſapuere, ediſcamus, ſed ut oculis res ipſas uſurpare, tangere, cetera, poſſimus, curandum eſt. Optant viri periti, ut in ſcholis publicis, feſtiua cum rerum naturalium, tum arte factarum, copia; vel, ubi ipſae haberi compararique non poſſunt, utrarumque exemplaria et typi, ſchemata, picturae, figurae aeri inciſae, quae iſtarum vices tantiſper ſuſtineant, ſumtu publico colligantur, quorum ope facilius et certius, breuiorique tempore, res comprehendi poſſunt, quam vel verboſiſſima qualibet deſcriptione, quae mentem obtundit, et cognoſcendi cupiditatem non accendit, ſed

*) In orat. de Sinarum Philoſophia, Not. III. p. 73. conf. Logica eius lat. mai. §. 390. 971.

ſed extinguit, aut certe languidiorem efficit. Qui adhibere huiusmodi ſubſidia non poſſunt, falſis rerum nunquam conſpectarum imaginibus effingendis ipſi ſibi illudunt, mentemque chimaeris paſcunt, et ubi verba de rebus facere conantur, procul a vero aberrant, et Pſittacorum inſtar ſonos proferunt, quos ipſi iuxta cum ignariſſimis intelligunt. Quotusquisque eſt eruditorum, qui de mineralium, plantarum, animantium variis generibus, vel tolerabiliter diſſerere poſſit! Quis non malit audire metallifoſſores, herbarios, venatores, aliosque forte, qui uſum harum rerum et experientiam habent! Colligantur igitur mineralium ſpecimina, et in loculos apte diſtribuantur; colligantur herbarum genera, et ſecundum notas ſuas ordine diſponantur: Sic fiet, ut ea, quorum nunc rara eſt inter eos, qui literis operam dant, notitia, pluribus ſine magno labore innoteſcant. Animantium peregrinarum figuras, quum animalia exempla raro ſeſe videnda offerant, artificis caelo affabre expreſſas contemplari per otium iuuabit. Globos praeterea terreſtres coeleſtesque, ſphaeras armillares, machinas alias, quibus ordo et motus corporum coeleſtium oſtenditur; typos templi hieroſolymitani, qualem Halae Magdeburgicae, una cum ipſius Palaeſtinae deformatione, extare noſtimus; nauium magnarum; item eorum,

quae ad architecturam militarem pertinent, quaedam quasi proplasmata, nemo sine fructu intuebitur et explicari audiet. Machinas etiam plures, quarum insignis usus est, minori forma fabricatas, in promptu habere non inutile fuerit. Iam ad antiquitates explicandas et intelligendas, sine quarum cognitione veteres scriptores cum fructu legi vix possunt, picturis, quae ob oculos eas quodammodo ponant, multum adiumenti adferri nemo forte negauerit. Pertinet ad propositum nostrum omne quoque illud instrumentum, quo ad experimenta physica, ut loquuntur, instituenda opus est, quorum ope multa exhiberi oculis possunt, quae absque iis male percipe-remus Sed satis exemplorum attulimus; ut quid nobis velimus intelligi possit. Omnia enarrare, in quibus auxiliaribus sensuum copiis plus, quam alia quacunque ratione, efficitur, et difficile et nimis longum foret. Nullum est dubium, quin iucundissima hac docendi discendique ratione, quae ipsam naturam ducem sequitur, multorum ingenia, abstractas generalesque notiones, et artis regulas, quibus in recepta methodo ferme solis locus est, auerlantia, excitari possint, ut, excusso torpore, alacriter ad res per omnem vitam utilissimas cognoscendas incumbant, ne in perpetua naturae artisque ignoratione verlentur, aut in admirando huius uniuersi thea-

theatro, tanquam lapides ſuper lapidibus, oſcitantes aſſideant. Interea vero, dum hac felicitate ſcholis omnibus frui liceat, faciendum eſt unicuique, quod pro copia rerum praeſenti fieri poteſt: neque nos in hac noſtra bonarum artium officina operam ſtudiumque noſtrum, quantum in nobis eſt, deſiderari patimur. Quae, quum per hoſce dies ſolemni ritu luſtrata, et ſtudioſae adoleſcentiae profectus inſpecti fuerint, ſupereſt, ut huic ſolemnitati orationibus publice habendis, finis imponatur. VIR igitur SVMME REVERENDVS, AVGVSTINVS MICHAEL RüCKERVS, ECCLESIARVM ROTENBVRGENSIVM SVPERINTENDENS etc. *de Idearum Origine contra Malebranchium* paucis diſſeret. Nos *de hodierno Euangelii Ieſu inter gentes Iudaeosque praeconio* breuem narrationem inſtituemus. Poſtremo IOH. GE. FRIDERICVS LEISERVS *de utilitate, quam etiam Tirones ex Matheſeos ſtudio capere poſſunt*, pro ingenii modulo, quaedam in medium afferet. Deſtinatus eſt huic rei dies XIV Apr. eiusque hora a I pomeridiana dimidia. Patres igitur Patriae Magnificos, Praenobiliſſimos, Ampliſſimosque, tum omnes, qui literariae ſcholaſticaeque rei bene cupiunt, quam fieri poteſt et decet, obſeruanter, ac peramanter rogamus et obſecramus, ut in auditorio Gymnaſii noto frequentes conuenire, et ad breue tempo-

ris ſpatium exoptatiſſimam ſuam praeſentiam commodare dicentibus ne grauentur.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, d. XIII. April. CIↃ IↃCC XXXXI.

## XVIII.

## Quid ſit diſcere.

Quid ſit diſcere, qua ratione diſcendum, quis ad diſcendum ſit aptus, nemo ignorare ſe putat; quod nemo eſt, quin aliquid aliquando didicerit: et tamen pauci, quantum ſatis eſt, norunt. Vulgaris, quae plerorumque animis inſidet, opinio habet, diſcere, ſaltem ubi de literarum ſtudiis eorumque tirociniis ſermo eſt, et memoriae mandare paria facere; neque diſcendi rationem ullam eſſe, quae ſit ab ediſcendo diuerſa; ad diſcendum maxime idoneum videri eum, qui plurimum memoria polleat. Itaque credunt ſatis eos proficere, qui quotidie aliquod penſum animo adfigunt, et tanquam in futuros uſus recondunt. Quumque ad eam rem poſſint adoleſcentes verberibus adigi, conſequi putant, ut ad profectus in literis faciendos vi cogi queant; neque obſtare quidquam, quo minus poſt diuturnam ceſſationem, et

inter

inter multa auocamenta, aeque expedite progrediantur in ſtudiis, quam ſi perpetuo tenore operam iis dent, parumque ad rei ſummam intereſſe, utrum quis ſcholis publicis aſſidue continenterque interſit, an eas crebro interrumpat; quod unius horulae momento reſarciri damnum, ſi quod acceptum fuerit, exiſtimant. Non deerunt fortaſſe, qui verbis ita ſentire ſe negent, at factis certe ſic perſuaſum ſibi eſſe ſatis oſtendunt. Ex falſa iſta perſuaſione duo inprimis oriuntur incommoda: alterum, ut dicati literarum ſtudiis adoleſcentes non ut par erat in officio contineantur, neque acrioribus ad diligentiam ſtimulis incitentur: alterum, quum forte vota ſua deſtitui fero parentes animaduertere, ut in magiſtros temere feſtinatoque iudicio culpam conferant. Non male de iis pariter, qui hoc errore ducuntur, ac de adoleſcentiae doctoribus, meriturum cenſemus, ſi quis oſtendat, diſcendi operam non eſſe rem tam leuem et expeditam, ut alia omnia agendo, et animis longe lateque peregrinando, eam praeſtare queamus, neque ex quouis ſtipite edolari poſſe pulchrum Mercurii ſimulacrum. Viſum itaque et nobis eſt pauca quaedam eorum, quae huc pertinent, prout res et tempus fert, breuiter commemorare. Is igitur demum diſcere nobis videtur, qui claram ſolidamque rei alicuius cognitionem, cum firma quadam faci-

facilitatè coniunctam, conſequi ſtudet. Linguam, ut hoc utamur, diſcit, non qui Grammatica, aut verborum aliquo commentariolo, memoria complectendo occupatus eſt; ſed qui ſuas ſingulis vocabulis notiones ſubiiciendi, iisque ex conſuetudine linguae, ſicubi opus eſt, utendi peritiam, aſſidua bonorum auctorum lectione, et crebris ſcribendi exercitationibus, ſibi comparat. Artem diſcit, non qui audita a magiſtro praecepta recitare memoriter nouit; ſed qui, ea quid ſibi velint, intelligit, et ad eorum praeſcriptum opus aliquod efficere conatur. Diſciplinam aliquam diſcit, non qui aliquod forte eius breuiarium deuorat; ſed qui omnium rerum, quae ad eam ſpectant, claras diſtinctasque notiones animo informat, et quid ex iis confici colligique poſſit, quomodo ſingulae eius partes inter ſe aptae ſint atque connexae, peruidere laborat. Vbi de arte aliqua, v. c. muſica ſermo eſt, nemo dubitat habitum eius, ut philoſophi loquuntur, perpetuo uſu eſſe comparandum, nec qui eam diſcendam ſuſcepere tam ſtulti ſunt, ut alia, quam exercitationis nunquam intermiſſae, via ad eius facultatem peruenire ſe poſſe ſperent; atque adeo auribus vicinorum inſcito cantu obſtrepere vix unquam deſinunt. Sed eorum qui linguis, qui diſciplinis addiſcendis operam dare videri volunt, magnam partem longe ab

hac

hac ratione discedere videas. Iam ad omnem cognitionem comparandam adferre primum omnium oportet mentem vacuam, non alienis a proposito cogitationibus, non leuibus nugis, non turbulentis affectibus refertam: aliter enim nullum in ea inuenient locum ideae a magistro inferendae, praesertim si vegetiores et iucundiores sint eae, quae animo iam insunt, quam quas in eam volumus inuehi. Adferre oportet mentem cognitionis et scientiae amore inflammatam, saltem ab iis non abhorrentem, et quae excitari se a monitore patiatur. Subeundi sunt enim literarum studiosis labores non omnino nulli, et in primis initiis parum iucundi, quos nemo subibit, nisi generoso quodam impulsus impetu. Adferre oportet mentem attentam, et totam in iis, quae docentur, defixam. Qui enim fieri aliter poterit, ut ea, in quibus versamur, comprehendamus intelligentia, ut ne quid praeteruehatur aures nostras? Adferre oportet mentem, quae non difficulter quae traduntur accipiat, et fideliter accepta contineat: ne frustra conando ipsa sibi molesta sit, et de profectu tandem desperans inertiae se totam tradat. Neque abesse debet acris illa recte de rebus iudicandi vis, qua fit, ut quid verum falsumque sit cauti dignoscamus, neque solam magistri auctoritatem, pecorum ritu, quo ducuntur euntium, sequa-

ſequamur. Requiritur mora et ἐπιμονὴ quaedam; ne impatientia ad alia feſtinemus; prioribus non ſatis perceptis, ſine quibus poſtrema conſiſtere intelligique non poſſunt. Neceſſaria frequens eſt auditorum lectorumque iteratio, ut familiaria fiant percepta, et memoriae infigantur altius, ut ad nutum praeſto ſint atque recurrant; aliter uſui eſſe non poterunt, ſed theſauri inſtar abditi ſine fructu iacebunt. Illud etiam cauendum, ne ſaepius diutiusque intermittatur exercitatio, niſi deleri velimus ex animo imagines nondum bona fide impreſſas, aut aliis interim eum occupari, quae ſenſibus forte gratiores videantur. Ea res quantum impedimenti adferat ſtudiis, ſuo ipſe exemplo MVRETVS *) docuit, et omnes, qui non minus quam ille ingenue ſe explorauerint, nullo negotio deprehendent: Ex his, quae diximus ad diſcendum adferenda eſſe, quaedam ſolius naturae munere nobis obtingunt, ut illa percipiendi, retinendi rectеque iudicandi facilitas: quaedam arbitrii noſtri eſſe videntur, ut diſcendi cupiditas, attentio, cetera. Sed tamen in his ipſis quoque magna eius habitus vis eſt, quem, quum naſceremur, animus noſter induit, et in mundum ſecum attulit. Sunt homines nequaquam ſtupidi, qui nullo doctrinae deſi-

*) Orat. XV, Volum. II, cuius lectionem adoleſcentibus etiam atque etiam commendamus.

deſiderio trahuntur; neque vel validiſſimis argumentis illud in ſe excitari patiuntur; ſed ſenſuum voluptatibus immerſi, his ſolis ſeruiunt. Sunt, qui ſponte ſua nonniſi raro et difficulter ad diſcendum accedunt, ſed habent tamen interualla quaedam lucida, et, quum audiendo delectentur, magiſtrum idoneum nacti, haud poenitendos interdum progreſſus faciunt. Sunt etiam, ſed rari nantes in gurgite vaſto, in quorum animis tecti quidam igniculi latent, qui non alio flabello magis idoneo excitantur, quam literarum dulcedine, non alio pabulo magis aluntur et ſuſtentantur, quam variarum rerum cognitione, et in pulcherrimam tandem flammam erumpunt. Eſt et genus eorum, qui tanquam caelo delapſi, aut ventorum turbine acti, in Parnaſſi regionem venere, neque ubi gentium ſint exputare poſſunt, et velut umbrae per deuia locorum lenti et ſemiſomnes gradiuntur. Sunt aliae ingeniorum formae innumerae, quibus non minus quam vultibus adoleſcentes differunt. Iam ex his ſi ea tantum ad ſtudia applicarentur, quae ad ea nata factaque ſunt, bene cum diſcentibus, bene cum docentibus ageretur. Nunc aliter multo fieri videmus. Quum nemo pedibus captum ad ſaltatoriae artis magiſtrum mittat, nemo manibus debilem ad citharoedum; ſoli literarum profeſſores tam ſunt inuenuſti, ut in diſciplinam recipere cogantur

tur

tur promiſcuam etiam eorum turbam, qui nulla earum, quibus opus eſt, dotium inſtructi ſunt, quosque, ſi ſui res eſſet arbitrii, lautiſſimam quamuis ipſis precati fortunam, procul a ſe amandarent. Hoc ſi quis perpenderit, ſi mores praeterea adoleſcentum bene nouerit, ſi quam diſtenta phantaſiae ludibriis habeant capita, quam mobiles animos, cogitauerit, ſi quam parum amarae literarum radices ad palatum ſint illis, quam ſaepe ingeminandum: hoc age! ad animum reuocauerit, nec ceterorum, quae hoc ſtudium ingreſſos retardant, *) oblitus fuerit, is deſinet mirari, paucos, non dicam in primis, ſed in ſecundis tertiisque, plerosque in extremis conſiſtere: illud potius mirabitur, hac rerum temporumque conditione non omnino deeſſe, qui animos, quantum ſatis videri queat, cultos ex ſcholis referant, nec fruſtra omnem in iis operam conſumi teſtentur. Sed nolo hoc argumentum tractare copioſius: cupio enim quam breuiſſime defungi mentione rerum non gratiſſimarum, praeſertim quae ſint eiusmodi, ut ſi vel digito indice eas monſtraueris, non poſſint non ab omnibus, qui verum amant, agnoſci, nec lucem maiorem aut ferant, aut deſi-

*) Vid. V. CL. P. E. LAYRIZ Programma, ſuperiori anno editum, quo perditos hominum mores inſuperabile iuuentutis pie educandae impedimentum eſſe oſtendit, et quod nos anno CIↃIↃCCCXXXIII edidimus.

desiderent. Ceterum non alienum id esse putauimus ab hoc tempore, quo exploratis studiosae pubis profectibus, orationes recepto more habendae indicandae sunt. Ac primum quidem VIR SVMME REVERENDVS, AVGVSTINVS MICHAEL RüCKERVS, ECCLESIARVM ROTENBVRGICARVM SVPERINTENDENS *de Religione Sinarum* paucis exponet. Tum nos *de nominibus, locis, temporibusque, ut existimantur, fatalibus*, breuissime disseremus. Tandem IOHANNES WILHELMVS Krafft, Reip. Alumnus, ingenii florentis, honestissimique generis adolescens, *de fructu ex Historia ecclesiastica capiendo* verba faciet. Fiet id die crastini, hora post ortum solem octaua, siue post primam pomeridianam dimidia, in auditorio noto. Cui postremo solennitatis scholasticae actui, ut, quicunque literis delectantur, literarumque cultoribus bene cupiunt, frequentes interesse, et splendorem auctoritatemque praesentia sua exoptatissima conciliare benigne velint, quam possum obseruantissime officiosissimeque peto atque contendo.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, a. d. v. April.
CIↃIↃCCXXXXII.

# XVIIII.

## Institutio ad varietatem ingeniorum adcommodanda. Comment. I.

Magna et admirabilis plane est ingenii humani varietas, et multiplex natura, quae nusquam forte magis elucet, nusquam facilius agnoscitur, quam in erudiendis literarum disciplina adolescentum coetibus. Deprehendas ibi, si paullum modo animum aduerteris, homines solertes, acutos, perspicaces, qui quae traduntur celeriter arripiant, qui tardius intellecta firmiter retineant, qui mentem habeant multo lumine colluſtratam, foecundam, omnisque doctrinae capacem. Deprehendas item, contraria his indole, inertes, obtusos, hebetes, tardos, obliuiosos, mentis caliginosae, sterilis et vehementer angustae. Quidam discendi quadam naturali cupiditate ducuntur, et ingenti variae cognitionis atque scientiae desiderio flagrant, atque in literas adeo summo studio, sua sponte, incumbunt, neque monitoribus multum egent. Alii, etsi parentum iussu, aut consuetudine permoti, scholas frequentant, sunt tamen ab omni bonarum artium genere alieni, nulla praeter pallium scholastici nota

nota insignes, et corpore in auditoriis praesentes, animo peregrinantur, ac nihil omnino eorum, quae oportebat, agunt: Alii, medio inter hos loco constituti, non tam a literis, quam a discendi labore abhorrere videntur, et iis, quae sunt facilia et iucunda cognitu, quodammodo delectantur, caeterum intendere neruos, et seuera lege proficere, non cupiunt: Existunt interdum, qui ad amplam solidamque eruditionem adspirent, nec minus ad animum poliendum et reipublicae utilitatem, quam ad victum quaerendum, studia referant. Pars, si fieri posset, ne literulam quidem unam, praeter ea, quibus certissime se olim usuros existimant, addiscerent, propaedeumata omnia in minimis ponentes, et in disciplinarum grauiorum sacraria importune rusticeque irrumpere conantes: Rursum alii id solum agunt, ut literatorum nomen, propter aliquot annos in Scholis et Academiis exactos, vel perditos potius, reportent, eruditionis, ne quidem necessariae, nullam curam habentes. Ex tam vario coetu, in quo rebus omnibus inferiores plerumque numero vincunt, raro enim impermixta aut copiosior meliorum annona est, quum scholae publicae, ut opinor omnes, constare soleant: una tamen eademque institutione adolescentes cuncti coniunguntur, iisdemque linguis artibusque discendis operam dare iubentur:

haud ſane prudentius, quam ſi quis agricola eodem frugum genere diuerſae naturae ſolum conſerat, ſemenque et operam fruſtra conſumat; et agrum, ex quo, ſi congruente ſatu cultus eſſet, ampliſſimos fructus potuiſſet colligere, ſterileſcere patiatur. Iam poteſt quidem periti magiſtri prudentia aliquantulum huic incommodo adferre remedii, ſi idoneum unicuique pabulum ſubminiſtrare, atque ingenii cuiusque in inſtitutione publica rationem habere ſtudeat. Sed non negabunt, credo, ne peritiſſimi quidem et in ſcholae palaeſtra exercitatiſſimi viri, vel ſic minus recte, quam par erat, negotium ſuccedere, nec tantum ſubſidiaria illa opera effici, quantum ſalus iuuentutis et commoda publica poſtulant. Si aut ingeniorum haberi dilectum liceret, aut tolli ſaltem cauſſae poſſent, quibus efficitur, ut a bonis artibus diligenter colendis multi abhorreant, primum omnium illuc conſilia cogitationesque conuertere docentes par eſſet. Sed, quum illud rerum, quae nunc eſt, conditio non permittat; tum vero plerumque tot tantisque animi adoleſcentum ſtudia auerſantium implicantur impedimentis, tot inſolubilibus quibusdam nexibus conſtricti tenentur, quod ſaepe etiam nulla praecipua illorum culpa accidit, ut vix ulla appareat feliciter eos expediendi et in libertatem vindicandi ratio. Siue enim latente

tente quodam naturae vitio, ſiue rerum ſenſibus gratarum conceptis animo imaginibus, grauidarum more, ad certa ſtudiorum genera nauſeent, ſiue falſa quaedam perſuaſio, aut mala exempla, aut eorum, quibus credulitatem ſuam addixere, auctoritas, mentem obſederit, ſiue educationis imprudentia corruperit, ſiue plura horum ſimul faſcinauerint, deplorata plerumque res eſt, nec multum bonae ſpei relinquitur. Supereſt ergo ut circumſpiciatur ratio, qua relictis tantisper caeteris, in quibus erudiendis oleum et operam perdi certum eſt, conſuli illis queat, quos, quum parum delectari videantur literis, tamen nec natura, neque alia ulla ratio, ad ſtudia omnino fecit inhabiles. Ac primum quidem illud faciendum putamus, ut nihil his diſcendum proponatur, niſi cuius, etiam ex ipſorum ſententia, certus ſit in eo, quod ingreſſuri probabiliter videntur, vitae genere uſus. Neque enim errant, qui elaborandum ſibi in eiusmodi rebus negant, ex quibus nullum fructum percipere ſe poſſe iudicant. Verum decipiuntur ſaepe in dilectu rerum, et parum ſcite tanquam infructuoſa repudiant, quae commodi afferre plurimum, experientia, ſi vellent, doceri poſſent: nolunt autem, quia ſine multo labore id fieri non poteſt, quem in euentum incertum ſumere iis non eſt animus. Rationem porro, obſtrepen-

tibus animi perturbationibus, aetas infirma, audire non ſolet. Quid autem infirma? immo ne adulta quidem. Neque ad auctoritatem, ſi hanc ſequi eos iubeas, pauciorum recte ſentientium, quod rationis eſt et iudicii; ſed eorum, qui multitudine ſunt potiores, ſeſe conferent. Dic, ut hoc utar, adoleſcenti, caetera non malo, magnam eſſe humaniorum artium, quamuis vulgo neglectae iaceant et contemnantur, in grauioribus diſciplinis utilitatem; confirma orationem tuam argumentis exquiſitiſſimis; teſtes aduoca noſtri vetuſtique temporis fide digniſſimos: vbi plurimum tibi tribuit, reſpondebit, pertinere eas forte ad decus et elegantiam, ornatumque, quo homines occupati ſuperſedere queant, ſuperuacaneum. Caeterum etiam ſine iis longe plurimos bene rem geſſiſſe. Quid facias eiusmodi hominibus? Quandoquidem incomti et ruſtici eſſe volunt, non inuideamus ſane ipſis delicias ſuas; et ut reliquarum rerum non eandem omnium pulchritudinem et perfectionem eſſe facile ferimus, ſic eruditionem etiam plurimorum parum cultam et impolitam potius, quam omnino nullam eſſe, libenter ſinamus. Latinae igitur linguae, ut eo redeam, unde digreſſus ſum, quum maiorem peritiam non eſſe ſibi neceſſariam multi putent, quam ut paucos aliquot libros, ad id, cui ſe addixere, ſtudiorum genus

genus pertinentes, utcunque intelligere queant, neque ulla ratione eripi ſibi hanc opinionem patiantur, non ſunt his Grammaticorum praecepta, Philologorum obſeruationes, quibus non niſi perfectam linguae cognitionem affectantibus opus eſt, inuitis inculcandae; ſed curandum, ut perpetua lectione et interpretatione aliquam eum lingua latina familiaritatem quaſi contrahant. Scriptores eum in finem iis proponendi quam fieri poteſt facillimi, in quibus dicendi genus planum et apertum, res non abſtruſae, ſed obuiae, et tamen utiles omnibus, ad quos intelligendos quam minima antiquitatis notitia requiratur. Tales mihi videntur *Selectae ex profanis hiſtoriae*, ſed quales eas ipſe Heuzeus edidit, ſublatis nimirum, aut commutatis, quae morari tirones queant. Adderem, ſi res mei eſſet arbitrii, ex recentioribus unum alterumue, in quo eligendo magis ad facilitatem et uſum, quam ad linguae puritatem et elegantiam, reſpiciendum putauerim. Eſt enim illud longe certiſſimum, et, ſi quis dubitet, nullo negotio conuinci poteſt, multos iuniorum, qui caeteroquin non omnino oderunt literas, a veteribus legendis deterreri, partim ea obſcuritate, quam opiniones, ritus, mores hodie incogniti, afferre ſolent, partim perpetuo armorum ſtrepitu, qui Nepotem, Caeſarem, Curtium, caeteros, legentium

aures animosque obtundit. Et quotus quisque eorum, qui peruulgato more literas tractant, ubi e scholae carceribus dimissus est, veterum alicui legendo vel horulae unius momentum tribuit? quis non ex istis salebris se tandem emersisse laetatur? quis non ex supellectile sua libraria confestim facessere, et exulare perpetuo, semilaceros suos classicos iubet, nisi forte non tardus utilium prouisor in usum speratae sobolis asseruandos putet, et in aliquo aedium angulo tantisper locum iis concedat. Quos igitur, quoad in schola versantur, nunquam intelligent, etsi ad rauim usque magister iis explicandis insudet, nec post id tempus unquam euoluent; quid nolentibus et nauseabundis obtrudimus? Cur ut magis magisque a studiis abalienentur intempestiua sedulitate efficimus? Iam si lectione veterum non fatiganda sunt promiscue omnium ingenia, quid de scriptione, latinisque stili exercitiis iudicabimus? Vulgaris ratio contra naturam mature nimis a pueris ea exigit, antequam verborum copia instructi sunt, formamque latini sermonis legendis auctoribus satis cognouerunt. Hinc fit, ut molestissimum componendi laborem experiantur, eumque vehementer refugiant: idque tanto magis, quo certius magna pars scire se arbitratur nunquam futurum, ut latine ipsis aliquando scribendum sit, et quo plures sub-

ſubinde audiunt, qui dedidiciſſe ſe latine et loqui et ſcribere, et oblitos eſſe puerilium ſtudiorum, nimis forte ingenue fateantur. Sic nimirum colligunt, etiam alias non nimis acuti: Quamcunque artem homines vulgo ſoleant obliuiſci, ea nihil eis opus eſſe. Si enim eſſet, fore ut ipſe eius uſus obliuioni intercederet. Qua re autem opus non ſit, eam ne diſcendam quidem eſſe. Quibus, etſi non deeſt, quod reſpondeatur, perſuaderi tamen quod verum eſt, pauci ſibi patiuntur. Nihil itaque reſtat, quam ut eos permittamus iudicio ſuo, et ſi, ut meditate diligenterque ſcribant, adducere non poſſumus, faciamus ſaltem, ut latinis germanice conuertendis crebro exerceantur, eaque ratione et latinae et germanicae linguae facultatem augeant. Quod, quum latine ſcripta aliquatenus a ſe intelligi oportere non inficientur, vernacula autem ſcribendum ſibi in poſterum fore ſaepiſſime, facile videant, recuſare nullo modo poterunt. Conſilium erat plura, quae ad propoſitum pertinerent, adiicere. Sed ea, ob chartae anguſtiam, in aliud tempus, ſi vita ſuppetet, reiicere cogimur. Nunc illud agendum eſt, cuius gratia hanc ſcriptiunculam publice proponimus. Inſtituto nimirum per ſuperiores dies ſingularum Lycei noſtri curiarum examine, coronis huic ſolennitati literariae, orationibus, die craſtini, qui erit Aprilis viceſimus ſextus,

tus, hora poſt pomeridianam primam dimidia, in auditorio noto, publice habendis imponetur. Ac primus quidem cathedram conſcendet VIR SVMME REVERENDVS AVGVSTINVS MICHAEL RüCKERVS, ECCLESIARVM ROTENBVRGENSIVM SVPERINTENDENS etc. et *de Iuuentute Spartana* dicet. Altero loco nos *de expedita inſtudiis proficiendi ratione*, paucis diſſeremus. Tandem IOH. DAVID HIRSCHING, Clariſſimi quondam Viri, *Ieremiae* Hirſching, Gymnaſii noſtri Conrectoris praeclare meriti filius natu minor, qui omnia, quae quis a iuuene literarum ſtudioſo requirere poſſit, felici ſucceſſu nauiter adhuc praeſtitit, carmen, *quo librum naturae omnibus libris humanis praeferendum eſſe*, oſtendere conatur, quodque totum ſibi merito vindicat, recitabit. Cui actui ut Magnifici, Praeſtrenui, Praenobiliſſimi, Ampliſſimique Reip. Proceres, et quicunque rei noſtrae ſcholaſticae bene cupiunt, ſuis quisque meritis, honoribus, titulisque ornatiſſimi, frequentes intereſſe velint, obſeruantiſſime ſtudioſiſſimeque rogamus.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, a. d. XXV April.
CIↃ IↃCC XXXXIII.

XX.

# XX.

## Inſtitutio ad varietatem ingeniorum accommodanda. Comment. II.

Dicere alias ſententiam coepimus, qua ratione in iis adoleſcentibus erudiendis verſandum exiſtimemus, qui abhorrere a ſtudiis, humanioribus inprimis, quodammodo videntur, neque tamen ad literas tractandas omnino ſunt inepti. Quum vero tum temporis non potuerimus omnia, quae volebamus, in medium afferre, quod olim inſtituimus, iam abſoluere conabimur. Graeca igitur etiam lingua inter ea eſt, quae vulgo omnibus promiſcue diſcenda proponuntur. Sed rectius, opinor, tempus illud, quod huic tribui ſolet, aliis rebus dabunt ii, de quibus nobis ſermo eſt. Quemadmodum enim omnium linguarum, ita et graecae ea eſt ratio, ut, niſi quis tantam eius facultatem ſibi comparauerit, ut auctorem aliquem non difficillimum ipſe per ſe intelligere utcunque poſſit, vix eam utilitatem afferat, quae tempus et operam repenſet. Exigui progreſſus, quos ii, qui aliis, quam Theologiae ſtudiis, ſe addixere, in ea, ſua quidem culpa, facere ſolent, contemtum afferunt linguae, quae et facile

cile diſci, et plurimum omnibus ſtudioſis prodeſſe poſſet. Saepe enim audias voces querentium, ſe quoque olim graeca didiciſſe; non autem videre cui bono. Vnde latius in dies ſerpit eam negligendi contagio. Quod ſi vero nemo ei operam daret, niſi qui paullo pleniorem eius cognitionem adipiſci cupiunt, eamque adepti multum ſe ex ea utilitatis percipere teſtimonio ſuo confirmare poſſunt, non iam futurum amplius videtur, ut in cenſum parum utilium relata contemnatur. Sic enim fieri fere ſolet, ut quae vulgaria ſunt, neque tamen quidquam praeſtant commodi, vileſcant; rariora contra, quae prodeſſe credimus, magni fiant, et a multis expetantur. De Poeſi quoque diceremus, niſi iam ſatis conſtaret, non alios, niſi qui ad eam ſponte feruntur, ea eſſe exercendos, meliusque eſſe, quam pauciſſimos, aut plane nullos, eſſe Poetas, quam auribus noſtris Bauiorum Maeuiorumque incondito ſtrepitu conuitium fieri.

Quanquam autem condonanda quaedam certis ingeniis contendimus, nequaquam tamen otio corrumpi, aut incultu torpeſcere ea volumus. Eo tantum ſpectat conſilium noſtrum, ut relictis illis, unde multum amaritudinis, et propterea, quod non ſatis diſci ſolent, parum utilitatis, exſpectandum, ad ea diligentius tractanda incumbamus, quae et iucundiora plerisque, et ad varia vitae ciuilis munia obeunda magis

gis neceſſaria videntur. Non autem peculiares quasdam, aut arcanas forte, artes diſciplinasque indigitamus, quae ſolis his exotericis *) diſcendae ſint: ſed tales, quibus etiam illi, quos ad maiora enutrire oportet, impertiri debent. Illud tantum diſcriminis obſeruandum exiſtimamus, ut iſtis non niſi apertiſſima quaeque et maxime neceſſaria, populari quadam ratione tradantur: his autem, ad celſiorem eruditionis gradum aliquando eniſuris, ad intimiores rerum receſſus, quantum fieri poteſt, via monſtretur. Ac primum quidem conſultum erit paullo maiori, quam vulgo fieri conſueuit, diligentia vernaculam, in qua, quanquam quotidianus et perpetuus eſt eius uſus, multi vehementer ſaepe impingere ſolent, excolere, quod qua ratione fieri debeat, praeclare paſſim a viris eruditis oſtenſum eſt. **) Curandum deinde ut rerum ad religionem pertinentium uberiori notitia imbuantur adoleſcentes: quod ſi unquam, noſtris certe temporibus neceſſarium eſt, quibus tot tantaque paſſim opinionum monſtra excluduntur, ut aduerſus ea ſatis diligenter praemuniri mentes

*) De diſcrimine diſcipulorum exotericorum et eſotericorum, vid. Ioh. Scheffer, de natura et conſtitut. Philoſophiae Italicae, C. XI. aliique.

**) Vid. Rollins Anweiſung, wie man die freyen Künſte lehren und lernen ſoll, aus dem Franzöſiſchen überſezt von M. Johann Joachim Schwaben. Leipzig 1738. in 8. T. I. p. 404. ſeqq.

tes vix queant. Vt iam taceam paucos esse, qui accurate norint, quibus rebus dissentientes Christianorum partes discriminentur et quaenam inter eas sententiarum sint diuortia, quos adeo rectius instrui opus est. Quid quod de moribus christiano homine dignis multa tradi debebant, quorum vulgato more exigua ratio habetur. Porro Arithmetica, Geometriae quaedam initia, Globi et mapparum geographicarum usus, historiae rudimenta, epistolarum scribendarum ratio, Graphices elementa, Musica forte, utilissime simul et iucundissime occupatos habebunt animos adolescentum. Ostendendum deinde quae cauenda sint, ne male ratiocinemur, et quae sint prima omnis cognitionis humanae initia et fundamenta, quorum eo facilior erit cognitio, quo magis cum ipsa natura mentis humanae conspirant. Addentur denique iuris cum naturalis, tum ciuilis *) principia; ethica item, quae rationes et momenta, quibus ad virtutem colendam exstimulemur, proponit; regulae item decori, **) in vita com-

*) Traité du Choix et de la Methode des Etudes par Fleury, à Bruxelles, 1687. 12. p. 152.

**) Legebantur olim in scholis Erasmus de ciuilitate morum, Ioh. Casae Galateus, et similes; hodie fere exulant, forte quod sunt in iis quaedam temporibus nostris parum accommodata. Commendandus est ex recentioribus libellus Halae Sax. editus: Handleitung zu guten Sitten, zum Gebrauch

communi obſeruandae : quarum rerum omnium maximum eſſe uſum, quum nemo temere negare auſit, plane mirum videri debet, cur tam parce adoleſcentibus inſtillentur. Hui! tam multa, dicent fortaſſe quidam, et ea difficiliora, quam pro captu iuniorum, ut haec eos animo comprehenſuros multo minor ſpes ſit, quam ea, quae omitti iubes. Quid his reſponderi poſſit, ex iis, quae de diuerſa res easdem tradendi methodo modo dicebamus intelligi poteſt. Multa nimirum erunt, et partim difficilia, ſi omnia copioſe explicanda, et demonſtrationibus, inprimis quales hodie deſiderant, munienda ſint: Non autem ſi poſitiones, ſiue concluſiones, quas vocant, aut nudas, aut popularibus ſaltem rationibus munitas, proponamus, et ut familiares fiant tironibus curemus. Neque eſt ut inutilem hanc operam eſſe quis cauſſetur. A cognitione enim huiusmodi hiſtorica ipſi maximi philoſophi initium fieri iubent, et in actionibus ſuſcipiendis ſolam regulam menti obuerſari ſufficit, modo eam veram eſſe perſuaſum habeas. Fatemur porro, multa horum, quibus imbui animos adoleſcentiae volumus, commodius tradi in familiari quaſi ſermone, occaſione ex iis, quae in vita quotidiana geruntur, vel forte narrantur, aut leguntur, arrepta; quam

ſi

si liber quidam ordine dilucidandus sumatur. Non sunt adolescentes omnes omnium horarum homines, ut quolibet tempore ad quidlibet discendum sint idonei. Sed rebus praesentibus si mens impulsa, et torpor ei excussus fuerit; cum ad se pertinere quodammodo; quae docentur, putant, tum demum arrectis auribus adstant, tum concharum instar ad rorem doctrinae hauriendum se mentes eorum aperiunt. Multum etiam refert, rerum discendarum aptam fieri distributionem, talem scilicet, qua unicuique disciplinae plures assignentur classes; in quibus sola profectuum, non aetatis aut temporis, ratione habita, adolescentes collocentur; velut prospero successu in paucis quidem scholis, sed celebribus illis, fieri notum est. Quod si fuerint, qui aegre ferant, humaniores literas in angustius spatium cogi, barbariemque vaticinentur breui futuram, si nostra ratio locum inueniat, eos rogamus, ne contemni a nobis humanitatis studia, hariolentur, quorum summam utilitatem ultro agnoscimus, quae modis omnibus florere cupimus. Longe enim certissimum videtur, si vel maxime fieret, ut id, quod commendamus, studiorum discipulorumque discrimen obseruari posset, non tamen pauciores, quam nunc sunt, futuros humaniorum literarum peritos. Quid enim? Num propterea, quod inuitos et reluctantes illis obtun-

obtundendos non cenſemus eos; qui in iis proficere aut non volunt, aut non poſſunt, minuetur numerus eorum, qui iis delectantur, aut ad ea, quantum ſatis eſt, colenda adduci ſe patiuntur? Pauciores fortaſſe forent, qui ſibi eruditionis perſuaſionem induerent; plures autem ad omnia vitae munia implenda idonei. Iam quod de eruditione uniuerſa verum agnoſcitur, melius eſſe, paucos multa veraque eruditione ad ſobrietatem redactos, quam multos vanae eruditionis opinione temulentos, in re publica verſari, idem etiam in literis humanioribus locum habere videtur.

Quod ſi non eorum cauſſa, qui, quum ad literarum ſtudia deſtinati et illis quaſi damnati ſint, ab iis tamen animum habent quodammodo alieniorem, hic modus, quem paucis perſtrinximus, probandus videatur: ſunt tamen alii, quorum rationem habendam eſſe prudentia ſuadet. Eſt ſcilicet magnus numerus eorum, qui ſcholas frequentant, non eo fine, ut literis ſe totos dedant, et in eruditorum cenſum referri velint; ſed ut mentem ſuam quadam tenus excolant, et vitae utilia diſcant. *) Annon igitur vel horum in gratiam ſic inſtituen-

*) Conf. Cl. Schöttgenii, Rect. Dresd Unvorgreiffl. Vorſchlag, wegen einer beſondern Claſſe in offentl. Stadt-Schulen, in Actis Schol. Vol. II. p. 221.

ſtituenda eſt publica docendi ratio, ut praetermiſſis iis, quorum, niſi accurate cognoſcantur, uſus eſſe nullus poteſt, aut quibus nemini ferme opus eſt, niſi qui totam in ſtudiis agere vitam decreuit, certis horis ea tantum tradantur; quae plerorumque captui et propoſito ſunt accommodata, ne unquam deeſſe poſſint ciuili ſocietati homines, omnibus iis artibus atque praeſidiis ornati atque inſtructi, quibus bonos ciues, bonos opifices, bonos mercatores, bonos milites, ornatos atque inſtructos eſſe par eſt. Niſi forte credamus, plebeiorum hominum animos non eſſe eius dignitatis atque praeſtantiae, ut aliqua iis perficiendis opera dari debeat; aut eos forte audiendos putemus, qui omni ingenii cultu carentes, omnique liberali cognitione deſtitutos, melius fideliusque parere ſummis poteſtatibus arbitrantur, quam qui animum habent doctrina mitigatum atque emollitum. Sed deſinamus tandem nugarum. Satis ſcimus, non pati idolum illud, quod mortales plerique omnes venerantur, ſacro ſanctum conſuetudinis nomen, ut quidquam rerum a patribus acceptarum facile innouetur. Tutius arbitrantur homines, cum maioribus errare, quam noua, quantumuis recta, conſilia ſequi: quanquam hoc noſtrum quidem non eſt ex omni parte nouum, ut facile particulatim oſtendi poſſet, ſi operae pretium facturi videremur. Indicabimus

nunc

nunc potius, qua ratione examini pubis ſcholaſticae, per hosce dies inſtituto, finis imponendus ſit. Craſtino nimirum die, ɛ. ɔ. ϰ. ϑ. ϰ. ζ. hora poſt ortum ſolem VIII: in auditorio Gymnaſii; Orationes conſueto more recitabuntur, et primum quidem VIR SVMME REVERENDVS, AVGVSTINVS MICHAEL RüCKERVS, SACRORVM ECCLESIARVMQVE ROTENBVRGENSIVM ANTISTES, *Dei apud creaturas ſuas praeſentiam illuſtrabit.* Deinde nos *ſin ſtra quaedam exterorum de Germanis iudicia* conſiderabimus. Tertio loco IOH. FRIDERICVS Hornung, qui nobis diligentiam ſuam morumque modeſtiam abunde probauit, breuiter oſtendere conabitur, *quibus praeſidiis ornatum inſtructumque eſſe oporteat, qui ſtudiis ſacris cum fructu operam daturus eſt.* Quam ſcholaſticam ſolennitatem, ut Proceres Reip. Magnifici, Praeſtrenui, Praenobiliſſimi Ampliſſimique, reliqui item omnium ordinum ſpectatiſſimi Viri, qui ſcholas literasque non auerſantur, exoptatiſſima ſua praeſentia, condecorare et ſplendidiorem efficere dignentur, ſummis precibus efflagitamus atque contendimus.

Rotenburgi ad Tubarim, P. P. a. d. IX. April.
CIↃ IↃCC XXXXIIII.

# XXI.

## De educatione et institutione puerili.

### Particula I.

Curotrophus Insula est, per vastissima maris Phantasiodeos aequora fluitans, et ab orbe nostro ingenti seiuncta interuallo. Ex pumicosis terrae continentis fragminibus, una cum incolis suis hinc inde auulsis, fuisse concretam, constante fama proditum est. Ea quum in uniuersa reip. administratione praeclaris utatur legibus institutisque; delectis nempe ex multarum gentium, quae hic in unam conflatae habitant, optimis moribus: tum praecipue formandae erudiendaeque sobolis praestantissimas rationes usurpat atque tuetur. Nam quum, in ceteris orbis terrarum partibus, peruulgata plerorumque ferat opinio, inprimis bene sapienterque educari aetatem teneram, si cognitione atque scientia earum rerum, quibus olim ad victum parandum opus sit, memoriam cerebrumque quamprimum oppleat: Insulani contra isti, omnem fere pueritiae instituendae rationem, ad vitia, quibus ea imbuta est, eluenda, ad feritatem mansuefaciendam, ad aestum

ſtum libidinis exſtinguendum, ad ignauiam expellendam, ad animum emendandum, praecipue referri debere exiſtimant. Etſi enim literarum artiumque dignitatem nequaquam aſpernantur: tamen nec eas ſolas beatos efficere mortales, neque etiam a peruerſis ingeniis, ut par eſt, diſci colique poſſe, haud vane arbitrantur. Itaque ſemina ſcelerum, quae mentibus hominum ab utero ſtatim ineſſe non ignorant, omni ſtudio ſuffocare conantur, et quicquid inde mali propullulat, nauiter eruncant, quantum fieri poteſt, funditusque euellunt. Quamprimum infans alterum tertiumue attigit annum, ut et balbutire incipiat, et cupere ſe quaedam, alia auerſari ſignificet, continuo vigilant, ne imprudenti ſtolidaque indulgentia corrumpatur tenellus animus. Iam igitur quoddam quaſi praeludium futuri aduerſus cupiditates belli ineundum eſt, et prorſus ita aſſueſcendum, ut ad nutum matris, non ad ſuam libidinem, omnia facere patique promtiſſimum ſit. Inter haec non inſipidis anilibusque commentis, non ſpectrorum terriculis, naſcentia infatuantur ingenia; ſed nutrices aut ſacrae hiſtoriae particulas alumnis narrant, aut rerum quotidianarum, et ſuppellectilis domeſticae, nomina et uſum demonſtrant, aut alio denique innoxio ludo luſuque exhilarant ſimul et inſtituunt ſciendi cupidas animulas. Mox puerilis aetas literarum diſcit

discit elementa, in matrum sinu, per risum iocumque, una cum primis doctrinae sacrae rudimentis. Nam qui praematurein Scholam mittuntur, eos magistro docenti, ut plurimum tristissimo obsequio, animum intendere existimant: quod puerilis ingenii leuitas et inconstantia discendi alacritatem statuto tempori alligari non patiatur. Ita fieri, ut amaritudinem semel perceptam omni tempore reformident, quum in uniuersa institutione cauendum sit, ne studia, quae amare nondum potest pueritia, ea neque odisse incipiat. Neque in publicos coetus, qui sacrorum caussa conuocantur, pueros admittunt, quos satius existimant arceri ab iis, quae non intelligunt, quam committi, ut consuetudo otiose in templis assidendi, in petulantem licentiam, contemtumque sanctae religionis conuertatur. Vbi adoleuere paululum, publicis tandem magistris traduntur. Hi quum adolescentes bene moratos, industrios, ad obsequium promtos, a parentibus accipiant, et ipsi incredibili voluptate bonas artes interpretantur, et discipulos habent ab ore suo quasi suspensos, et hilari animo, auidisque auribus, disciplinarum praecepta haurientes. Est autem discentium multitudo in duos tributa ordines, vitae genere, quod qu sque olim secuturus est, atque adeo institutionis etiam ratione, discretos. Alter est eorum, quos, etsi perpetuam studiis ope-

operam daturi non ſint, ſed ad artes manuarias, mercaturam, militiam, et his ſimilia animum appulerint: tamen liberalius paullo inſtitui reipublicae intereſſe credunt. Hos Calligraphia, numerorum et magnitudinis doctrina, epiſtolisque ſcribendis exercent, quin etiam Iuris naturalis, Geographiae, Coſmicae, et Hiſtoriae elementis imbui curant. Alterum ordinem ii explent, qui ſe totos literarum ſtudiis dediderunt. Ac quanquam rari ſunt apud Inſulanos noſtros ad ſtudia inepti; quum idoneum literis ingenium natura paucis negare ſoleat, plurimos peruerſa demum corrumpat educatio: ſapienter tamen cautum eſt, ne ad haec ſacra admittantur, niſi quos dignos Docimaſtae pronunciauerint. Ita fit, ut nec inertes ſtupidique bonorum induſtriam morentur, nec illiterata literatorum multitudine respublica oneretur. Aliquam Scholae curiam ingreſſis penſum imperatur, quod accurate prius confeciſſe oportet, quam in altiorem gradum adſcendendi ſpes oſtendatur; ne ſedilium potius cultefactorum, quam doctrinae adeptae, praemium tribui videatur. Ceterum, ut cum eruditionis, tum virtutis et pietatis, incrementa quotidie capiant adoleſcentes, non magiſtri magis, quam parentum opera efficitur. Nam quae in Scholis bene viuendi praecepta audiunt, eorum in aedibus ſuis praeclara vident exempla, quorum multo

to maior in animis hominum, quam verborum, vis est. Nemo porro est paterfamilias, quin sub vesperam, cum a ceteris domesticis, tum a liberis praecipue, rationem exigat, quid eo die egerint, qua re meliores, qua item doctiores, se factos putent. Nemo est, quin praecipua inter parentum officia, rectaeque educationis adiumenta numeret, omni ratione prouidere, ne sui, libere passim vagantes, siue in prauis sodalitiis, siue in iis locis, ubi tutum nequitia perfugium reperit, pestifera contagione afflentur. Sic inter consociatas parentum praeceptorumque curas, in virtutis et literarum studiis pulcherrime adolescentes proficiunt, ut et procreatoribus honori, et reipublicae emolumento sint. Multa sunt in hoc genere praeclara Curotrophorum instituta, quae particulatim uniuersa enumerare locus non finit. Ad praecipua quaedam ex iis commemoranda ansam nobis praebuit anniuersaria Panegyris, post Curiarum Gymnasii nostri solemnem lustrationem, die crastini, qui erit prid. Id. April. hora post meridiem prima, loco noto, celebranda. Verba faciet VIR SVMME REVERENDVS, EXCELLENTISSIMVS AC LONGE DOCTISSIMVS, CHRISTOPHORVS LVDOVICVS HARTMANNVS, SS. TH. D. ECCLESIARVM ROTENBVRG. SVPERINTENDENS, CONSISTORIALIS ET SCHOLARCHA GRAVISSIMVS, *qui Imperatoris Augusti illud:*

*illud*: FESTINA LENTE! *ad Iuuenes ad Academias abiturientes accommodabit, ostendens, non nisi iactis probe fundamentis Musis Gymnasticis valedicendum esse.* Tum *RECTOR* de *ratione modoque Institutionis puerilis, qua Veteres quidam usi fuere,* breuiter disseret. IOHANNES LVDOVICVS SCHAEFER autem, Reipublicae Alumnus, *Diligentiam* commendabit, a qua et ipse commendari meretur. Cui Actui ut Proceres Reipublicae Magnifici, ceterique omnium ordinum praestantissimi Viri, et quicquid praeterea in urbe literatorum est hominum, frequentes interesse velint, qua par est, unumquemque obseruantia rogamus et obtestamur.

P. P. III. Id. April. CIↃIↃCCXX.

# XXII.

## De educatione et institutione puerili.

### Particula II.

Quum post consuetam studiosi coetus probationem, ordinumque progressiones, ad ultimum solemnitatis scholasticae actum inuitandi nobis sint bonarum artium patroni atque fautores, non aliud temere differendi argumentum, siue huic tempori, siue muneri, quod sustinemus, conuenientius est visum, quam si de optima, quae nobis quidem videretur, pueritiam instituendi ratione exponeremus: et ita quidem exponeremus, ut neque discrepantes aliorum de hisce rebus sententias insectaremur; neque eam, quae nobis probatur, cuiquam cuperemus obtrudere. Non autem omnia, quae in medium afferemus, ex nostro profecta ingenio credi volumus: sed hominum doctissimorum, et exercitatorum in ista palaestra, utemur subsidiis, et quicquid illi, accommodate ad rationes nostras, dixisse videbuntur, id, bona auctorum venia, adoptabimus tantisper, ac nostrum faciemus. Age igitur, accipiamus e gremio matrum pueros quinque, sex, vel septem etiam, anno-

annorum, magna enim ingeniorum dissimilitudo est, et magistro in disciplinam tradamus. Hic iam quatuor potissimum rebus imbuendos sibi putabit nouitiolos suos, primum *christianae religionis*, quae vera DEI *cognitione* et *cultu* continetur, *principiis*, tum *decoris moribus*, postremo *primis literarum elementis*. Dignoscere literas, ut hinc ordiamur, hoc modo docebuntur pueri. Ad manum sit tabula lignea, in qua earum figurae, et quales typis excudi et quales manu scribi solent, quam scitissime sint depictae, primum recto illo, quo primum poni consueuere, contextu, deinde ea serie, in qua maxime similes, quarumque facilis est confusio atque permutatio, iuxta collocentur. Ad eam tabulam pueros, quos libris abecedariis eadem ferme ratione dispositis instructos esse conuenit, adducet magister, et bacillo demonstrabit literas, et sonum simul clara suauique voce praeibit. Mox a tironibus earum nomina reposcet, tum, ut easdem in libris suis requirant, monebit, et discrimina, tam figura, quam sono, affinium, diligenter ostendet. Progredietur autem pedetentim, nec plures literas eadem hora cognoscendas proponet, quam pueros videbit animo, sine fastidio, posse affigere. Quum non ordine tantum, sed facie eas norunt, binas ternasue discent coniungere, deinde statim ad voces simpliciores facilioresque

resque ſunt admittendi. Sed quoniam ingens in linguis eſt ſyllabarum diuerſitas, in quibus multae ſunt, propter conſonantium concurſus, non adeo expeditae lectu, neceſſe fuerit, eas omnes in libris elementariis conſignatas habere, ut exerceri in iis diligenter queant tirones: ne, quod nimis ſaepe, etiam in adultis, accidere videmus, in omnibus et legendis et ſcribendis errantes deprehendantur. Itaque una alteraue hora pergent in iis, quae plana nec adeo impedita ſunt: una per confragoſa etiam et aſpera incedere aſſueſcant. Vtiliſſima eſt exercitatio, ut pronuncientur a praeceptore literae ſingulae, quas pueri uno ſpiritu efferant; quae res ad quoscunque ſonos ſcriptione exprimendos promtiores facit. Ad lectionem properandum non eſt, priusquam inoffenſa et indubitata literarum coniunctio, ſine ulla cogitandi mora, ſuppeditet. Ac primum ſyllabatim et lente legent, donec, aſſidua meditatione, emendata contingat velocitas. Monendum et hic eſt, ut, uno recitante, caeteri, qui pares ſunt profectu, non ſinantur otioſi aſſidere: quin ſimul omnes adſtabunt, et idem penſum habebunt prae manibus, et commilitonem praeeuntem, oculis, auribus, atque animo, ſequentur. Magiſter vero iam hunc iam illum prouocabit, ut ſecuritas abſit, et monere negligentes queat. Multa haec ratio habet commoda,

quae

quae vulgaris illa disciplina non assequitur. Nam et melius exercentur tirones, citiusque adeo proficiunt, quum, quantum omnes recitant, tantum singuli possint addiscere; et attenti esse coguntur; et maiorem voluptatem adfert ista exercitationum sodalitas. Praeceptori etiam taedii remedium est, et ingeniorum explorationem reddit faciliorem. Inter haec illud etiam faciendum est, ut lac doctrinae christianae recte instilletur teneris animis, quo nutriri possint et crescere. Nolumus primos annos nimis onerari promiscuis precum formulis, dictis biblicis, psalmisue: quod in tanta aetatula ad ostentationem potius, quam ad utilitatem, spectare solet. Delectae, eaeque paucae, in promtu sint magistro Scripturae S. sententiae, quibus summa et ordo rerum creditu et factu necessariarum perspicue contineatur, delectae item aptaeque precatiunculae. Eas non addisci tantum a suis curet, sed in minutas, captuique puritiae accommodatas, secet quaestiunculas, quibus varie eos exerceat: ut non verba solum, sed sensum etiam percipiant, nec ut cymbala sine mente tinniant. Vbi, robustioribus iam humeris, plus ferre valent, Lutheri nostri catechismum, psalmosque intellectu faciles, crebra auditione, adiuuante tamen lectione, memoriae mandare incipient: sed eadem illa lege, ut non satis existimetur verba tenere, sed vis etiam atque

que mens verborum, breuiſſime primum; et quam fieri poteſt dilucide, explanetur, deinde ab iis, qui inſtituuntur, idoneis aptisque interrogationibus viciſſim eliciatur. Quumque valde narratiunculis capiantur rudia ingeniola, ſapientius utendum eſt innoxia iſta φιλοπαιδια, quam vulgo fieri ſolet. Narrabit itaque noſter tirunculis ſuis hiſtorias ſacras, quanta poteſt ſermonis amoenitate ſimul atque puritate, et protinus eos reddere quae audierant iubebit: quae res, prudenter ſuſcepta, doctrinae ſalutaris cognitionem efficiet ampliorem atque iucundiorem, et ad DEI in gubernanda Eccleſia ordinem obſeruandum paullatim manuducet; et ſaluberrimis monitis animam praebebit: ut iam non dicam, vernaculae culturа facundiam prouocari alique. Omnino autem cauendum eſt praeceptori, ne praeclare profeciſſe pueros iudicet, cum preces, catechiſmum, pſalmos, recitare norunt memoriter, et mediocriter intelligunt: nondum haec efficiunt, ut Scholae, quae appellantur ſeminaria Eccleſiae, tueantur nomen ſuum. Ad fidem igitur, vitam, et conſcientiam, referre, quicquid ſcientia comprehenderunt, docendi ſunt. Neque id obiter forte, aut raro, ſed quotidie, ſed profeſſa induſtria: ut perſuaſum habeant ſibi, hanc omnium rerum maxime eſſe neceſſariam; ab hac omnem veram ſolidamque felicitatem pendere; ac nihil

quidquam prodeſſe homini rerum ſacrarum cognitionem, niſi miſeriam ſuam humiliter ſentire et agnoſcere, gratiam ſitire, CHRISTVM amplecti, libidines corporis crucifigere, et quotidiana mentis renouatione transfigurari, ſtudeat diſcatque. Qui penſa, quae memoriae mandari iuſſerant, exigendo, aut inter minas et verbera, malos mores pueris obiectando potius, quam corrigendo, officio ſe ſuo ſatisfeciſſe arbitrantur, non adducunt paruulos ad CHRISTVM, ſed mercenariam praeſtant operam, quam, ſpe emolumenti minuta, et ipſam minui neceſſe eſt. Multa nobis dicenda reſtant, quae in aliud tempus differimus: nunc id agamus, cuius cauſſa has tabulas proponimus. Die igitur craſtini, qui erit IX Apr. luſtrationi adoleſcentiae ſcholaſticae orationibus habendis, et praemiis diſtribuendis, coronis addetur. Ac primum quidem VIR SVMME REVERENDVS, EXCELLENTISSIMVS, ET LONGE DOCTISSIMVS, CHRISTOPHORVS LVDOVICVS HARTMANNVS, SS. THEOL. D. ECCLESIARVM ROTENBVRGENSIVM SVPERINTENDENS, CONSISTORIALIS ET SCHOLARCHA GRAVISSIMVS, *Icarum* ſiſtet *Scholaſticum*, id eſt, Diſcipuli ſibi relicti, ſuo ſibi ingenio ſapientis, Parentum ac Praeceptorum monita ſusque deque habentis, auſus et lapſum. Tum nos, non minorem Germanicae, quam Gallicae Linguae, eſſe prae-

praeſtantiam, aduerſus Buhurium, conuerſis in eum ſuis ipſius armis, pugnabimus. Poſtremo GEORG. CASP. Anſchütz, Reip. Alumnus, qui, cum caeteris humanitatis artibus, et Muſicam coluit, *de Muſica* diſſeret. Quem actum, ut Generoſi et Magnifici Reip. Proceres, caeterique Muſarum noſtrarum Patroni atque Fautores, ſuis quisque titulis atque decoribus ornatiſſimi, praeſentia ſua cohoneſtare, et ſplendidiorem reddere velint, ea, qua par eſt, obſeruantia, petimus atque contendimus.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, d. IIX. April. CIↃ IↃCC XXIII.

# XXIII.

## De educatione et inſtitutione puerili.

### Particula III.

Anno ſuperiore de pueris recte atque utiliter erudiendis dicere inſtituimus; in re, quod multis forſan videtur, tenui, at non paruae tamen utilitatis, verſati. Nunc eadem opportunitate uſi, eam, quam ingreſſi ſumus, viam ſine ambagibus pergemus. Quum legere incipiunt paruuli, ſtatim dandi ſunt eis in manus libri, quibus poſtea,

poſtea, uniuerſo et diſciplinae et vitae tempore, uſuri ſunt: Catechiſmus ſcilicet, Nouum Teſtamentum, et Grammatica eiusmodi, quae nominum verborumque paradigmata contineat. In his ſe legendo exerceant, ut mature eis fiant quam familiariſſimi, neque in iis quidquam reperiatur, quod non tanquam digitos ſuos norint. Donato nihil opus eſt, qui, quum Grammatica permutatur, non poteſt non memoria et phantaſia puerorum turbari. Vt taceam adultiores, ſi quando, ut ſaepe fit, in vocum flexione impingunt, pudore prohiberi, quo minus ad Donatum recurrant. Cui malo Grammatica, quam diximus, medebitur. Interea temporis calamum etiam in manus ſument, et literarum, primum maxime ſimplicium, deinde ex his compoſitarum figuris, plumbo a magiſtro adumbratis, atramentum inducent; quod mature fieri poteſt, ut eodem propemodum tempore et legere et ſcribere diſcant. Poſtquam legendi aliquam facultatem adepti ſunt, proximum eſt, ut ad vocabula memoriae mandanda, declinandi item et coniugandi rationem, accedant. Quae res, quum ſit longe difficillima, et ab omni iucunditate remota, curandum eſt, ut, quantum fieri poteſt, ſubleuentur tenera ingenia, ne a re tam neceſſaria, improuide deterreantur. Peſſimi profecto moris eſt, pueris, qui vixdum legere expedite ſciunt,

penſa domi diſcenda proponere, unde eos et pronuntiare male, et miſere excarnificari neceſſe eſt. Recitet itaque primum ipſe magiſter vocabula bina ternaue, aequabiliter, preſſe, leniter, et eadem reperat aliquoties, diſcipulosque oris ſuauitate commendabiles idem facere iubeat, libros interim inſpicientibus pueris. Mox clauſo libro ipſe pronuntiet, quaſi nunc demum didicerit. Requirat deinde, ſi qui ſint, qui memoria comprehenderint penſum; erunt autem aliqui ſaltem: ii ſtatim reddent, animumque hoc pacto ceteris augebunt. Qui poſſunt, deſcribant domi, vel in ſchola etiam, ſemel iterumque, in libello ei rei deſtinato. Atque ut eo rectius id fieri poſſit, in tabula ſcite depingat magiſter, quod tanquam prototypon tirones ſequantur. Sic orthographia vocum haerebit firmius, memoria adiuuabitur, otium fugient, et in ſchola, dum forte ceterorum ſcripturas emendat Praeceptor, garrire impedientur pueri, et aſſueſcent aliquid agere etiam abſente eo, quod plane neceſſarium eſt. Eadem ratio in declinationibus et coniugationibus ſeruabitur. Vbi illud praeterea diligenter ſpectandum, ut ad nominum verborumque caſus obſeruandos, et indicatiui ac coniunctiui, actiui et paſſiui, tempora, numeros atque perſonas, ſine ulla haeſitatione diſcernendas aſſuefiant, et in ea re vel exercitatiſſimis

ſint

ſint promtiores. Exercebuntur autem commode in iis vocibus, quas aut iam didicerunt, aut tum forte, ſecundum libelli, quo utuntur, ſeriem, diſcendas habent; ut ſingula mutuas quaſi operas ſibi praeſtent. Neque vero opus eſt, ut declinationes omnes abſoluantur, antequam ad coniugationes veniatur. Illud potius faciendum, ut ſimul ac primam declinationem exacte tenent, ediſcant verbum *ſum*, eique nomen aliquod iungant, v. g. *ſum aduena*, cui reliqua ſuccedent paradigmata, quibus et ipſis caſus poſſunt addi, h. m. *amo Deum*, *doceor Grammaticam*. Eodem tempore genera nominum diſtinguere docebuntur quodammodo, ſufficientque primae aetati paucae regulae, quae inter declinandum, niſi ex lectione Grammatices haeſerint, inculcari non incommode poſſunt. Iam ubi hucusque progreſſus eſt puer, eam laborum ſuorum partem, quae plurimum amaritudinis habet, ſuperaſſe iure cenſetur, atque inpoſterum iucundiora inueniet omnia, et cui bono tantum hactenus ſudauerit, ſentire paullatim incipiet. Deducendus eſt enim nunc ſine mora ad *auctorum* lectionem, quae res quo maturius ſuſcipitur, eo diſcentibus conſulitur rectius. Proponantur igitur pueris breues ſententiae, vel exempla ſyntaxeos regulis, in quibus nulla ſit a conſtructione vernaculae

diſcrepantia, ſubiecta, *) vel colloquia etiam, **) modo ſint pure latineque ſcripta. Eorum voces ſingulas iubeantur reſoluere, reſoluent autem facile, etſi nondum intelligant, ſi coniugandi declinandique rationem perfecte calluerint, aduerbia item, coniunctionesque et praepoſitiones, crebra lectione notas habuerint. Flectere etiam easdem proderit. Praepoſtere videntur agere, qui poſt interpretationem demum analyſin grammaticam inſtituunt. Debet enim haec iſti viam ſternere, adeoque praecedere. Porro verſionem germanicam praeibit magiſter, pueri ſequentur, et ipſi reddent penſum germanice, verbum verbo, quantum fieri poteſt, apte commutantes. Tum ordo ratioque conſtruendi oſtendatur, et regulae legantur ſyntaxeos, ut uſu et crebra repetitione animo imprimantur. Hac ratione aliquantum confirmati, ad difficiliora, id eſt, ea, in quibus diuerſa eſt a germanica vocum coniunctio, legenda erunt manuducendi, et aſſidue nauiterque exercitandi. Vbi aliquam regulam ſatis intelligunt, atque exempla ad eam norunt exigere, germanicas etiam formulas, eidem regulae congruentes, latine, praemonſtrante praeceptore, conuertent.

*) vid. Grauinae orat. de Inſtauratione ſtudiorum, p. 625. f. edit. Lipſ. 1717.

**) Operae pretium eſſet quamplurima ex autoribus bonis colligi.

uertent. *) Sed longe crebrior, etiam in primis initiis, esse debet latina germanice interpretandi exercitatio, quae est facilior et iucundior, et sine controuersia etiam utilior. Dum hisce praeludiis veterum auctorum lectioni praeparantur tirones, non inconsultum erit geographicas iis subinde tabulas inspiciendas dare, et regionum locorumque celebrium situm ostendere, cum veteris tum noui orbis. Nam sine hac cognitione, omnis propemodum fructus, qui ex historicorum lectione capi debebat, intercipitur. Quanquam enim, non tam historiae, quam linguae caussa legi videntur; tamen sine Geographiae lumine multa erunt obscura, nec satis intelligi, multo minus retineri poterunt. Iam qui res non complectitur animo, is nec verba, quum opus est, recordabitur. Plura addere huius tabulae angustia prohibet, quam consueto more sub finem examinis scholastici edimus. Die enim crastini, qui erit XXI April. VIR SVMME REVERENDVS, CHRISTOPHORVS LVDOVICVS HARTMANNVS, SS. THEOL. D. SVPERINTENDENS, postquam ante annum Icarum scholasticum infelicem stitit, *Iter Heliconium* impraesentiarum delineabit. Nos *de differentia Scientiae et Sapientiae* breuiter disseremus. IOH. LVDOVICVS RENGERVS, Reip. Alu-

 mnus,

*) vid. Grau. l. c. p. 624. f. conf. Wagneri Grammat. Augustae Vindel. edita in 4.

mnus, *de ſtudiorum difficultate eiusque remedio* verba faciet. Cui Actui ut Proceres Reip. Magnifici, ceteri omnium ordinum praeſtantiſſimi Viri, et quicunque ſe literis fauere profitentur, frequentes adeſſe, ſplendoremque praeſentia ſua conciliare ne grauentur, ea, qua par eſt, obſeruantia eos rogamus et obteſtamur.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, d. xx April.

CIↃ IↃCC XXIV.

# XXIV.

## De inſtitutione puerili.

### Particula IV.

Non deſerendam exiſtimo, quam ſuperioribus annis ingreſſus ſum, de recta puerorum inſtitutione commentandi rationem: ne aut ipſe parum decore faſtidiuiſſe propoſitum opus, aut in medio curſu turpiter videar defeciſſe. Explicanda autem nunc ea mihi ſunt, quae ad auctorum latinorum veterum lectionem ſpectant, ad quam ſtatim poſt cognitas vocum flexiones accedendum eſſe diximus, niſi, quod prius aliquantulum temporis facilioribus quibusdam praeexercitamentis, in quibus, quod non-

nondum monuimus, aliquot noui foederis loca, ut id a Caſtellione latine conuerſum eſt, praecipuo loco haberi debent, tribuendum arbitremur. Conſtituamus igitur quadruplicem quaſi curſum, ei, qui ad latinae linguae cognitionem adſpirare cupit, abſoluendum. Ad primum referimus Phaedrum, puriſſimum dulciſſimumque ſcriptorem, cuius fabulae iis, quas Ioachimus Camerarius expoſuit, etſi optimis, propter ſummam urbanitatem et perſpicuitatem, ſine dubio ſunt praeferendae; ut mirum merito videatur, poſt illas repertas, hasce locum ſuum in plerisque ſcholis tueri potuiſſe. Eutropius etiam hic commendandus eſt, immo ipſe ſua ſe facilitate breuitateque commendat, et, ſi magiſter accedat idoneus, cum fructu in his initiis legi poteſt. Neque breuiores Ciceronis epiſtolae, ad uxorem Terentiam, aliosque, datae, huic aetati non conueniunt. Altero curſu paullo longiores etiam adeundae ſunt, iisque Cornelius Nepos coniungendus, Tullio aetate aequalis, nitore non inferior. Qui praeter haec Pomponio Mela duce, globi et tabularum geographicarum ſubſidio, terrarum orbem luſtrauerit, operae feciſſe pretium cenſendus eſt. Vinctam etiam numeris orationem nunc tentare proderit, cui rei ex optimis poetis ſelectae periochae fuerint aptiſſimae. Tertium ingreſſis ſtadium Caeſar et

Iustinus terendi sunt, sed ita, ne Ciceronis de amicitia et senectute libros, epistolasque prudenter seligendas, item ex ceteris libris excerptos locos, praetermittamus. Ex poetis iam Ouidius cognoscendus est. Quartus cursus supereſt, per amplissimum omnium bonae notae scriptorum campum, qui adolescentibus, firmato aetate gressu, emetiendus est. Percurrent enim oratoria et philosophica Ciceronis scripta, Terentium, Sallustium, Velleium Paterculum, T. Liuium, rei rusticae scriptores, Celsum, Plinium utrumque, Virgilium quoque et Horatium, cum ceteris poetis praestantioribus. Neque Minucius Felix et Lactantius, Sedulius item atque Prudentius, negligendi sunt. Nefas profecto est e Christianorum scholis auctores Christi doctrinam professos exulare penitus, in quibus sunt, qui sermonis cultu, nihil, aut parum, gentilibus concedant. Atque hic sine dubio querentur nonnulli, non esse necessariam tantam auctorum farraginem, neque inter tam variam lectionem ad stili constantem aliquam formam posse perueniri, quin obrui hoc pacto ingenia adolescentium, profectumque impediri. Sed considerent, quaeso, qui ita loquuntur, an fieri possit, ut ex uno alteroue auctore, qui nec multa scripserit, et res bellicas tantum sit persecutus, cuiusmodi fere sunt, qui vulgo in scholis tractari solent, omnia hauriantur, quibus non

dicam

dicam ad perfectam, sed ad modicam linguae latinae cognitionem, opus est. *) Docebit sane unumquemque experientia, qui plures diuersosque auctores, quorum ingenio pleraeque eruditionis partes excultae sint, non cognouerit, eum ubique haerere, siue in variarum artium disciplinarumque libris legendis occupetur, siue stilo consignare animi sui sensa adgrediatur. Non praestat lingua latina usum tot sumtibus laboribusque dignum, nisi ita familiarem habeas, ut aeque facile, aeque libenter, latina legas atque vernacula, quod sine multifaria exercitatione obtineri nullo modo potest. Neque stilo recte efformando obest varia lectio, si prudenter temperetur, et unus aliquis auctor, ut Cicero, qui propterea regnare in scholis debet, continente versetur studio, a quo forma orationis petatur, numerique ratio, et membrorum compositio. Hunc, vel alium quempiam, ingenio suo accommodatum, neque enim omnes Ciceronianos esse necesse est, qui imitandum sibi proponet, qui in sinu gestabit, et, si fieri potest, memoria comprehendet, ei verendum non erit, ne ceteris, qui ab illo longius dissimilitudine abeunt, cursim transeundis, certum firmumque dicendi genus non adsequatur. Et quis nescit plerosque id solum spectare, ut intelligant, quae latinis literis prodita

 sunt,

*) vid. Iac. Thomasii praefatio ad Epist. Manutii,

ſunt, de ſtilo exercendo parum ſolicitos. Multi etiam ad recte ſcribendum naturae quodam vitio ſunt minus apti, etiamſi fortaſſe, quod ad cetera ſtudia, nihil in ſe deſiderari patiantur. Fruſtra igitur metuimus, ne hi variam et diſſimilem dictionem adſciſcant. Quod onerari iudicant ingenia, tum locum haberet, ſi multis ſimul et mixtim operam eſſe dandam autoribus praeciperemus. Nunc quum Ciceronis, vel alterius probati ſcriptoris, adcuratam perueſtigationem nullo tempore intermitti, ceteros autem ſingulatim, non confertim, huic iungi, eique rei, quantum ſatis eſt temporis, tribui velimus, nihil iure obiici poſſe, nemo non videt. Deinde ſi nemo prohibet infantes cum pluribus confabulari ancillis, ſi nemo tam eſt rerum ignarus, quin eo celerius arripi linguam aliquam ſciat, quo ſaepius ac frequentius cum omnis generis hominibus colloquendi facultas ſit, cur aliam ſermonis romani intelligendi rationem eſſe putemus, cur noſtros per plurimos duci ſcriptores non ſinamus, non ut a capite ad calcem omnes publice legant, quod per temporis anguſtiam fieri non poteſt, ſed, ut ſingulorum aliquem guſtum et notitiam habeant, quo priuata deinde induſtria eo facilius eos peruoluant. Iam ſi fieri poſſet, ut vel in unico autore, eoque paruae molis, omnis lingua latina, tanquam in nuce Ilias, eſſet incluſa,

incluſa, tamen non foret conſultum eo ſolo in ſcholis uti. Quotusquisque enim eſt adoleſcentium, qui quem ſemel explicari audiuit librum, eum ſe percallere non praefidenter ſibi perſuadeat? Quotusquisque tam conſtanti eſt ingenio, ut quem bis terue, ad ſummum, legit, eum plus crambe decies recocta non faſtidiat? Hac perſuaſione ſimul et nauſea decepti, oſcitabundi aſſident, et nouum aliunde pabulum auido animo quaerunt. Cui aegritudini medicina aptior fieri non poteſt, quam ſi mutatis idemtidem auctoribus, ne intempeſtiua eos capiat ſatietas, ſtudioſe caueamus. Subiiciendum nunc erat, qua ratione verſandum in priſcis monumentis, cum magiſtro, tum diſcipulo, exiſtimemus. Verum in aliud tempus reiicere eam tractationem ſpatii nos iubet anguſtia. Reſtat, ut orationes, finito ſcholaſticae pubis examine die craſtini in auditorio noto habendas, rite ſignificemus. VIR igitur SVMME REVERENDVS, CHRISTOPHORVS LVDOVICVS HARTMANNVS, SS. THEOL. D. SVPERINTENDENS, CONSISTORIALIS ET SCHOLARCHA GRAVISSIMVS, *Vacuam Feſſoniamque ingenua pube indignas, ſtudiisque exitiales eſſe*, demonſtrabit. Nos *de utilitate ex literis humanioribus in medicinae ſtudio capienda*, coeptam olim telam pertexturi, paucis diſſeremus. Poſtremo IOH. GEORGIVS WIDENMANNVS, Rei-

Reipublicae Alumnus, *voluptatis incommoda* breui declamatione ostendere conabitur. Huic anniuersariae solemnitati, ut Generosi et Magnifici Reipublicae nostrae Proceres, ceteri omnium ordinum praestantissimi Viri, suis quisque muneribus, titulis ac meritis ornatissimi, et quicunque praeterea literas profitentur et amant, beneuoli frequentesque, interesse ne grauentur, ea, qua par est, obseruantia unumquemque rogamus et obtestamur.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, d. XVI. April, CIↃ IↃCC XXV.

## XXV.

## De institutione puerili.

### Particula V.

Persecuturo mihi, quod coepi, institutum, quomodo in legendis interpretandisque auctoribus latinis versandum existimem, breuiter est explicandum. Dicemus aurem hoc loco non de primis tironibus, quod alias fecimus, sed de iis, qui et aetate et nonnulla exercitatione iam confirmatiores videntur, et per saturam dicemus, prout quidque in mentem nobis venturum est.

eſt. Volumus igitur id inprimis curari, ut in interpretatione, quae fit lingua vernacula, utamur verbis loquendique generibus, non vulgaribus, ſordidis, male excogitatis: ſed propriis, puris, lectiſſimis, in ipſa Germania natis, eaque, quantum fieri poteſt, primum adnumeremus, deinde etiam, iterata opera, adpendamus, ut vim et poteſtatem vocum, mentemque ac ſententiam auctoris adoleſcentes plane perſpicueque cognoſcant. Quumque ſubinde occurrant, quorum adpellationes vernaculae non exſtant, quaeque breui et apta circumlocutione efferri non poſſunt: ſatius videtur latina nomina retineri, quam adhiberi germanica, quae diſcrepantem a rebus notionem in animo excitant. Inſtituenda porro diligentiſſima latinitatis obſeruatio, quae plurimum ad noſcendam linguae romanae indolem momenti habet. Oſtendendum igitur adoleſcentibus quae ſit verborum, cum ſingulorum tum coniunctorum, puritas, qui delectus, quae proprietas, quae vis interior et recondita, quae copia, qui concurſus idem ſignificantium, aut cognatorum, quaenam formulae ſint ſolemnes, quae voces obſoletae, rarae, auctoribus propriae; item quae nominibus ſubſtantiuis adiectiua, quae verbis ſubſtantiua et aduerbia coniungi ſoleant, quam apte particulis vincta et coagmentata ſit oratio; quam diuerſa ſermonis materni

ſit

ſit indoles; reſpiciendum ſubinde ad vulgarem illam inquinatamque ſcribendi conſuetudinem, oſtendendumque, quam procul ſaepius a norma latini ſermonis diſcedatur, et quam multa vitioſa paſſim uſurpentur, quae veterum, quos legimus, exemplo emendate latineque dici poterant. Videntur haec ſane exilia et minuta, praeſertim ſi obſeruationes ſpectes ſingulas: ſed ſunt profecto eiusmodi, ut ſine illis nemo unquam ad veram perfectamque ſermonis latini cognitionem peruenerit. Exigetur etiam, pro captu adoleſcentiae, ad rhetorum praecepta, compoſitionis concinnitas, periodorum ſtructura, figurarum uſus, troporum dignitas, ἦθη item et πάθη, quae vocant, amplificationis ratio, et quidquid ad hanc artem pertinet. Neque vero praeſidia, ad recte intelligenda vetuſtatis monumenta neceſſaria, negligenda ſunt, quibus vel inſtructos eſſe Scholarum Magiſtros, vel ſcire ſaltem oportet, unde, quae opus eſt, peti debeant: quippe ſine quibus nihil recte feliciterque in hoc ſtudiorum genere geri poteſt. Itaque nihil ſit in temporum ratione, nihil in locorum terrarumque deſcriptione, nihil in hiſtoria et antiquitate, nihil in Philoſophorum ſectis, quod intactum praetermittatur, ſi, neglecto eo, quid velit auctor explicari ſatis non poſſit. Statuendi ſunt adoleſcentes velut in media Italia, in foro, in curia, in caſtris Quiritium,

tium, circumducendi per prouincias, docendi mores ritusque gentis, ut in quodam quasi mentis prospectu habeant aeui veteris faciem, omnibusque modis cauendum, ne ex nostrorum moribus temporum antiqua illa iudicent, nisi in multos, ac ridiculos interdum, errores eos incidere, ac somniare potius, quam intelligere, quae legunt, velimus. Quis fuerit, quibus moribus, qua eruditione, quos honores gesserit scriptor, quem declarandum suscipimus, quae doctorum hominum de eo fuerint iudicia, et quae sunt his similia, adolescentes nosse multum proderit, et multum subinde lucis adfundet locis obscurioribus. Plerique arbitrantur se pueriles hominum umbraticorum tractare libros, in quibus adultioribus, aut viris, versari turpe sit: quod secus se habere monendi sunt: esse enim scriptos ab hominibus maximis, omnique ciuili disciplina et elegantia expolitis, eamque ob caussam, quo quis aetate, iudicio, rerumque usu plus polleat, eo maiorem utilitatem iucunditatemque ex illarum lectione percipere: ne nimis mature, quod vulgo fieri videmus, de manibus eos deponant, et fructum, si quem cepere, institutionis scholasticae, intempestiua lectionis intermissione omnem corrumpant, aut interire sinant. Recte etiam et ordine facere videntur, qui adolescentibus de linguarum dissimilitudine, de mendis in libris veterum

rum obuiis, earumque origine, de cauſſis item ceteris, quare multa in iis obſcuritate laborent, in uniuerſum aliqua, ſed ſobrie, praecipiunt, ut ſciant aliam eſſe rationem priſcorum monumentorum, per tot, imperitas ſaepe, librariorum manus, nobis traditorum, aliam eorum, quae noſtra aetas tulit, et diuina typographiae ars ab auctore ſuo recentia excepit, ac ſorte meliore beauit. Quod niſi fiat, aut loca corrupta et inexplicabilia pro ſanis facilibusque intellectu interpretanda, atque iudicio adoleſcentium tenebrae erunt offundendae: aut in ignorantiae ſuſpicionem magiſtro incidendum, ſi, quae forte vetuſtate vitiata et ſalebroſa occurrunt, ea reſtituere et explanare non queat. Quanquam vero linguae praecipue addiſcendae cauſſa leguntur ab iunioribus priſcorum libri, committendum tamen non videtur, ut ad Philologiam ſolam uniuerſam eorum tractationem referamus. Niſi enim omnino fallimur, non male prouectioribus conſulunt, qui Philoſophos etiam agere, ubi res id poſtolare videtur, ſapienter inſtituunt, et, quam probabilia, quam vera adtulerit auctor, quam firmis demonſtrationibus uſus fuerit, quam accurate mores hominum, conſilia actionum, rationes euentuum, ſcripſerit, quibus ſententiarum luminibus orationem illuſtrauerit, ceetera, inueſtigare, atque iudicii trutina examinare, quae

quae legunt, paullatim adſuefaciunt ingenia naſcentia.

Nunc etiam, qua ratione conſequamur, ut ad veterum ſimilitudinem quae ſentimus ſtilo exaremus, differendum eſt. Nemo imitationem non laudat, in ea una omne momentum eſſe ſitum nemo non fatetur: ſed, quae ſit eius ratio non ſatis vulgo animaduertitur. Non imitatur, qui ex verbis et locutionibus auctoris alicuius centonem pueriliter conſarcinat: non enim ad exemplar propoſitum orationem efformat; in quo vis imitationis omnis poſita eſt. Ex iisdem lapidibus, prout eos conſtruxeris, prodibit non minus informis quaedam ac male cohaerens moles, quam ſplendidum et deſcriptum arte aedificium, in quibus nihil ſimile deprehendas. Illud igitur faciendum eſt, ut totum ſermonis contextum, formam, virtutes, quotidiana lectione et obſeruatione, praemonſtrante magiſtro, animo complectantur adoleſcentes, eiusque expreſſam quaſi ideam concipiant, quam ſtilus deinde ſua ſponte ſequetur atque effinget: ad eundem modum, quo ii, qui germanicum aliquem ſcriptorem aſſidue terunt, etiam nullis praeceptis, nullo labore, ſolis imaginationis viribus adiuti, colorem habitumque dictionis ex eo trahunt, atque adſumunt. Scribendi exercitatio nulla videtur ad hanc rem accommodatior, quam ſi e latino in germani-

cum ſermonem, praeceptore duce, ita conuerſa, ut non aliunde translata, ſed vernacule primum videantur ſcripta, interiecto aliquot dierum interuallo latine reddere iubeantur; et deinde comparatione inſtituta, in quibus aberrauerint, admoneantur; idque eo usque faciant, donec propria latinae linguae indoles cum in verbis, tum in ſtructura orationis eluceat, idque non tam felicis memoriae, quam ingenii iudiciique opus eſſe ſatis adpareat. Poteſt etiam, lecto inſigni ſcriptoris alicuius loco, proponi idonea ei rei ſententia, ſimili ratione dilatanda, ſimili partium collocatione diſponenda, ſimili verborum ambitu concludenda, ſimilibus figuris exornanda: non ut, quoties aliquid ſcribendum eſt, ea ratione utendum arbitrentur, quae miſera profecto eſſet diligentia, ſed, ut eiusmodi exemplis docti, quid ſit ſpectandum in lectione, certius animaduertant. Verum in tota veteres imitandi ratione cauendum eſt, ne, dum ipſorum ſimiles eſſe volumus, ſimiae potius, ſeruili ſuperſtitione, videamur. Aliquid igitur et noſtro tribuamus ingenio: et quemadmodum mens in cogitando rerum naturam, non praeſcriptam aliquam temere formulam: ita oratio inprimis notionum animi indolem atque ordinem, non ſola auctorum veterum exempla, ſequi debet. Quanquam fieri utique poteſt, ut perpetua cum iis conſuetudo

ſimi-

similiter etiam cogitarenos doceat. Nunc id dicamus cuius cauſſa haec ſcribenda, recepto more, nobis fuerunt. Abſoluto nimirum hisce diebus ciuium Gymnaſii noſtri examine, Orationes in auditorio conſueto habebuntur, et praemia ſimul ſtudioſae adoleſcentiae diſtribuentur. Ac VIR quidem SVMME REVERENDVS, EXCELLENTISSIMVS ET MVLTIPLICI ERVDITIONE CONSPICVVS D. CHRISTOPHORVS LVCOVICVS HARTMANNVS, ECCLESIARVM ROTENB. SVPERINTENDENS VIGILANTISSIMVS, CONSISTORIALIS ET SCHOLARCHA GRAVISSIMVS, oſtendet *Linguae Hebraeae dignitatem, utilitatem ac iucunditatem.* Nos *de diſſenſu Rhetoricae veteris et nouae* breuiter diſſeremus. Poſtremo IOH. ADAMVS LEHMVS, Reipublicae Alumnus, Clariſſimi Parentis ſui, Poetae praeclari, qui in hac bonarum mentium officina multis annis adoleſcentiam fideliter inſtituit, ad extremum etiam cum laude eidem praefuit, veſtigia gnauiter premens, *Iter ad doctrinae arcem* carmine heroico deſcribet. Ad hunc igitur actum Proceres Reip. Magnificos, ceterosque omnium ordinum Viros Ampliſſimos Praeſtantiſſimosque, et quicunque a literis non ſunt alieni, decenter inuitamus, et ea, qua par eſt, obſeruantia rogatos volumus ſingulos ut praeſentiam ſuam ad breue temporis ſpatium beneuole nobis com-

commodare, atque ſplendidiorem efficere ſcholaſticam hanc ſolemnitatem ne grauentur.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, d. XVI. Maii. CIↃ IↃCC XXVI.

# XXVII.

# De inſtitutione puerili.

## Particula VI.

Qui iuuentutis ad bonam mentem, et optimas artes, informandae prouinciam ſortiti ſunt, eos, relictis omnibus, id ſummo ſtudio agere decet, ut omnes vias rationesque circumſpiciant, quibus ad ea, quae ſunt ipſis propoſita, quam breuiſſimo tempore, facillimoque negotio, peruenire queant. *) In tanta enim rerum diſcendarum multitudine, feſtinantibus plerisque ſpes ſuas, neque prudentiae leges, neque fatiſcentia multorum ingenia, patiuntur magiſtrum per ambages ire: quin nec regia ſemper incedere licet; ſed compendia itinerum, quantum fieri poteſt, quaerenda ſunt, ſi periti ducis laudem conſequi velit. Itaque operam dedimus aliquando, ut, quo pacto linguae latinae facultas quam rectiſſime

*) Conf. Quintil. Wolf. Praefat. zum Auszug. Bulfing. de diſcipl. mathem. et moralib. recte tradendis. Rol. Mareſii Epiſt.

me queat comparari, ex ſententia praeſtantium virorum, ſtrictim exponeremus. Nunc vero de iis etiam dicendi initium faciemus, quae adoleſcentibus praeter hanc, priusquam ad grauiora ſtudia admittantur, tradenda idonei auctores exiſtimant. Hic igitur primum ſuo ſibi iure locum, priſco more, vindicare videntur mathematicarum ſcientiarum primordia, Arithmetica ſcilicet et Geometria: quae non tantum, poſtquam perceptae ſunt, in omni vitae genere magnas praeſtant utilitates, quod de numerorum ſcientia plebs quoque agnoſcit; ſed etiam, ut monuere viri doctiſſimi, et veteris et noſtri aeui, tum, quum diſcuntur, proſunt. Acuunt enim ingenia mirifice, celeritatem percipiendi conciliant, atque, dum ex prioribus inſequentia probant, ad colligendam animi vim, et intendendam rebus praeſentibus, adſuefaciunt. Jam ſi eum, qui mentem ſtudiis excultam cupit habere, quid in unaquaque re ſit verum, quid falſum, quid probabile, quid conſequens, quid male cohaerens, ſolerter oportet diſcernere; atque ad eam rem methodo quadam et exercitatione opus eſt: quis negabit, has artes eruditionis amantibus eſſe debere commendatiſſimas? Nam docendi genere Mathematici adhuc fere ſoli uſi ſunt ejusmodi, quod unum omnium certae cognitioni pariendae ſit maxime idoneum: agitandi autem exercendique ingenii nulla

accommodatior tironibus eſt ratio, quam ea, in qua menti laboranti ſuccurrunt oculi, et a figura in tabula deſcripta ſubſidium petunt. Ceterae porro doctrinae partes facile inani ſcientiae opinione incautos inflant, ut ſcire ſe putent ea, quae neſciunt, et quo ſunt imprudentiores, eo verboſioribus diſputationibus perſtrepant; in his autem artibus nemo ſibi temere plaudere, nemo diſertus eſſe poteſt, niſi, quae explicare vult ſermone, cognouerit penitus: propterea, quod in iſtis etiam obſcurae confuſaeque rerum notiones ad differendi materiam ſufficiunt; in his non niſi liquidae, ſuisque notis diſcretae, locum inueniunt. Quid vero magis decet ſapientiae ſtudioſum, quam claraе atque diſtinctae rerum perceptioni adſueſcere, ex qua firma omnis et explorata notitia, omnisque conſentanea veritati oratio, manat. Ut jam nihil dicam de honeſtiſſima illa, et digna homine, voluptate, quam perſentiſcunt erecta ingenia, quum vident, a principiis ſimpliciſſimis et apertiſſimis, quae contemnenda magis, quam attentius conſideranda, videri ſolent imperitis, duci pulcherrimam rerum mire complicatarum et abſtruſarum cognitionem, ad quam humano ingenio aditum patefieri potuiſſe, vix multis fiat credibile. Sed deterreri ſeſe plerique patiuntur, ne aliquid otii Mathematis tribuant, falſa illa moleſtiae perſuaſione, quam ſub-

ſubeundam putant ei, qui hæc tractanda ſuſceperit. Neque vero reperias, cur quidquam moleſtum in iis videatur adoleſcentibus, niſi quod animi contentione quadam opus eſt, quam aetatis iſtius remiſſio aegre ſuſtinet, quodque, ubi circa priora, ex quibus pendet intellectus ſequentium, negligentius forte ſegniusque verſati fuere, retineri ſe ſentiunt, et impeditum ad reliqua iter experiuntur. Quodnam eſt autem ſtudiorum genus, a quo diligens abeſſe queat animaduerſio? hanc qui fugiunt, verendum eſt, ut ſincere bonas artes amplectantur. Atque eam ipſam ob cauſſam commendanda eſt iunioribus Geometrarum diſciplina, ut deſultoriae iſtius leuitatis vel inuiti conuincantur, eamque paullatim exuere diſcant. Et poteſt, niſi fallor, minuere quodammodo magiſter diſcendi moleſtiam, in Arithmetica quidem tradenda, ſi tamdiu in paruis numeris tirones exerceat, donec ſint exercitatiſſimi, ſi uſum artis continentibus exemplis inculcet, ſi rationes operationum oſtendat: in Geometria vero curabit primum, ut figuras norint, deinde ut definitiones in promtu habeant, et cum figuris conferant, tum ut ipſi quoque delineare eas poſſint. Ubi ad Theoremata ventum eſt, quorum demonſtrationes maximum negotium faceſſere ſolent inadſuetis, utendum eſt primum iis, quas mechanicas adpellant, quae in ſenſus

incurrunt, quam ad accuratiores illas accedamus, quae ſcientiae huius ſunt propriae, et geometricarum nomine intelliguntur. Qui familiaritatem aliquam cum figuris et vocabulis ſcitisque Geometrarum contraxerint, quod vel per luſum fieri poteſt, ii ſe magna laboris parte leuatos dicent, quum ad Geometriam iuſto ordine pertractandam acceſſerint. Declaranda eſt etiam methodi, quam mathematicam vocant, indoles, et oſtendendum, pro iuniorum nempe captu, qua ratione vim ſuam in omni veritate cognoſcenda et inuenienda explicet, ac fundamenta Logicae firma ſubſternat. Atque hic inprimis neceſſe eſt, omnia, quae audiuere diſcipuli, crebris interrogationibus ab iis repetere, et obſtetricem agere ſocraticam, ut ipſi ex ſeſe omnia videantur parere. Aſtronomiae quoque et Geographiae eam in ſcholis adoleſcentes comparare notitiam par eſt, qua adiuti Globis et tabulis geographicis recte uti, et de toto mundi ſyſtemate ſapientius, quam vulgo fieri ſolet, exiſtimare queant. Commendarem praeterea temporum doctrinam, faſtis melius intelligendis et Chronologiae hiſtoricae profuturam, niſi iamdudum vererer, ne his ipſis, quas commemoraui, Matheſeos partibus nimium onerari ingenia videantur: tametſi non niſi prima, et maxime neceſſaria, elementa ex iis decerpi velim. Alterum locum Hiſtoria obti-

obtinet, quam mature tradendam esse adolescentibus vix quisquam dubitat. Est enim isti aetati memoria fidelis et tenax, quae per omnem vitam impressa rerum, quas cum voluptate percepit, vestigia retinet. Profuerit autem, non ciuilis tantum, sed ecclesiasticae quoque, et litterariae historiae, primas lineas ducere, quod altera alteri multis modis innexa est, lucemque mutuam foenerat. In hac doctrinae parte eiusmodi ratio videtur tenenda. Proponenda est rudis quaedam series praecipuarum rerum, quae inde ab orbe condito acciderunt, in certas periodos digesta atque tributa, ut in promtu sit, quid in quoque temporum intervallo gestum fuerit, quis populus caput extulerit, quae ecclesiae conditio, quae literarum fuerit, qui magni homines vixerint, etc. Ne copia obturbet, ante C. N. populi iudaici, post C. N. imperii romani, et regni germanici, prae ceteris ratio habenda, synchronismis aliarum gentium non nisi parce, ubi visum fuerit, adiectis. Opus est ad eam rem tabula chronologica apte descripta, ut memoriae seruiat, quae una tantum, vel duabus ad summum, plagulis constet, in qua ea, quae diximus, paucissimis verbis annotata habeantur. Eam breui narratione declarabit magister, idque faciet tamdiu, dum penitus animis discipulorum affixa haereat. Interim et tabulae geographicae, tum antiqui, tum no-

ui orbis, inſpiciendae ſunt, et regionum populorumque, quorum mentio facienda, poſitus contemplandus. Mox idoneus aliquis libellus, qui pleniori narratione, quae in pinace illo repraeſentata fuerunt, perſequatur, in manus ſumendus, et totus, non tamen ad verbum, ediſcendus. Ubi ſic ſtamina fuere poſita, quotidie aliquid quaſi ſubteminis, ſiue bonorum auctorum lectione, ſiue magiſtrorum auſcultatione, non neglectis chronologicis amplioribus et genealogicis tabulis, poterit inſeri, donec corpus aliquod hiſtoriae fuerit contextum, uſibus cuiusque aptum. Nec male praecipiunt, qui in una curia non niſi unam hiſtoriae particulam, ut in alia antiquam, in alia mediam, in alia nouam, tradi volunt: quae diſtributio, ſicubi locum habere poteſt, ad diſcipulorum profectum videtur accommodatiſſima; quum ſic plus temporis luſtrando amplisſimo hiſtoriarum campo impendere, et maius ſpatium conficere queant, quam vulgo fieri ſolet. Si ſtilo etiam ornare, quae ex ore recitantis acceperant, iubeantur diſcipuli, operae pretium facturi ſunt. Eos, qui ſunt aetate iudicioque confirmatiores, moneri quoque conuenit, quae ſit natura hiſtoriae, quae utilitas ſit ex ea capienda, quantum ei tribuendum ſit fidei, et quibus rebus haec nitatur. Aliter in memoriae quidem theſauro multa reponentur, ſed parum fructuo-

ſa

sa esse poterunt. Discere autem aliquid quod fructu careat, vitiosum est. Supereſt, ut ad celebrandum conuentum anniuersarium, quo lustrationi Lycei nostri vernali finis imponi solet, orationesque audiendas, Musarum nostrarum Patronos atque Fautores decenter inuitem. Aget autem VIR EXCELLENTISSIMVS ET SVMME REVERENDVS, DN. CHRISTOPHORVS LVDOVICVS HARTMANNVS, TH. D. ECCLESIAR. ROTENBVRGENS. SVPERINTENDENS VIGILANTISSIMVS, CONSISTORIALIS ET SHCOLARCHA GRAVISSIMVS, quum hactenus de Talmude, de Targumim, de insigni quae è lectione Rabbinorum ac Peruschim hauritur, utilitate et aliis id genus verba fecerit, hac vice de *virulentis Iudæorum in Messiam Salvatorem nostrum calumniis ac blasphemiis.* Nos de *minutiis eruditis*, exiliter quidem, differemus. Gratiarum actionem recitabit GE. TOBIAS GEIDEL, Reip. Alumnus. Proceres igitur Reip. Magnificos, ceteros omnium ordinum honoribus meritisque insignes præstantissimosque Viros, denique ciues omnes literatos et literarum amantes, ea, qua par est, obseruantia rogamus et obtestamur, ut praesentia sua decorare solemnem hanc cerimoniam, et beneuolas dicentibus commodare aures ne grauentur.

P. P. Rotenb. ad Tub. d. II. Maii.

CIↃ IↃCC XXVIIII.

XXVII.

# XXVII.

## De institutione iuuenum.

### Particula VII.

Coeptam superioribus annis telam pertexturi, reliqua persequemur, quae siue discenda siue leuiter attingenda censemus iis, qui in scholis erudiuntur. Vtrum operae pretium faciant, qui animum ad Philosophiam adpellunt, ponderatis osorum defensorumque argumentis disquirere, et longi opus spiritus, et parum est necessarium. Nemo est paullo humanior, qui ignoret, doctissimos homines, a partium studio maxime alienos, atque in his etiam Theologos pietatis laude insignes, sic existimasse, quidquid egregiae veritatis ex natura haurire mens nostra possit, id omne amplectendum videri; neque ea, quae in sacris religionis nostrae libris continentur, pugnare cum rationis humanae scitis, nisi ea luxuriet, ac plus sibi, quam par est, adroget: quoniam ab eodem caelesti auctore et literae diuinae, et verum illud, quod natura duce cognoscimus, profectum sit. Quae aduersus Philosophiam a magnis viris disputata fuere, ea cadunt quidem in spi-

ſpinoſum illud, tricarum plenum, et ſcholae magis, quam vitae accommodatum doctrinae genus, quod plerique, quum atra nox bonis literis incumberet, ſectati ſunt, et multi nunc quoque non aſpernantur: non vero in ſobriam hanc ſapientiae diſciplinam, quae docet ratione uti, quae mores inſtruit, communia hominum officia regit, obſcuros naturae receſſus illuſtrat, et quibus modis fieri ſingula queant ſolerter veſtigat. Haec ſi repudietur, magna humanarum rerum inſcitia, magna barbaries et ſuperſtitio paullatim in animos irrepent, neque dignitatem ſuam artes tueri poterunt. Ac cametſi nihil utilitatis per ſe ipſa adferret, nihilo tamen magis noſtro tempore negligenda videretur, quam alia multa, quae ob id ſolum colimus, quod more et conſuetudine commendantur. Quae quum ita ſint, non eſſet fortaſſis cur quaereremus, utrum etiam in ſcholis aliquis Philoſophiae locus eſſe debeat? niſi fuiſſent, noſtra memoria, qui differri ſapientiae ſtudia in maturiorem aetatem, et academica ſpatia, praeciperent. Dolent nimirum, qui ita ſentiunt, non ea qua par eſt diligentia, ſiue ab adoleſcentibus, ſiue a magiſtris, tractari humaniores literas, unicum reliquarum artium decus atque praeſidium, quibus plurimum temporis a iunioribus tribui oportere, et ſapienter quidem, iudicant; vident plerorumque inge-

ingenia infirmiora esse, quam ut istis annis vacare cum fructu Philosophiae possint. Sed dandum videtur aliquid veteri multarum scholarum instituto, quod Philosophiae quaedam initia cum ceteris studiis coniungere iubet, ne animos nimium rudes in Academias adferant adolescentes, et copia rerum, trium quatuorue annorum spatio in iis discendarum, plane obruantur. Quid? quod linguae latinae maiorem comparare copiam, quod scholae proprium opus est, licet iis, qui ad Philosophiam degustandam admittuntur, et varios eius locos explicari audiunt. Ne iam dicam fieri vix posse, ut si qui sunt prouectiores, ii ad eloquentiam recte formentur, nisi ab hac disciplina aliquantum adiumenti mutuari queant. Iam si Philosophia tradenda est tironibus, videndum, quaenam prae ceteris secta sit eligenda. Est, qui optimum factu iudicet,*) Philosophorum omnium opiniones simplici narratione conclusas proponi tironibus, ex quibus deinde, quum primum iudicio satis valuerint, quae sibi videantur maxime opportuna eligant. Praeclarum profecto consilium, cuius arcanas forsan rationes auctor habuit; sed iis inprimis accommodatum, qui aetatem in literis agere decreuerunt, non item his, qui saeculi more tantum ex isto doctrinae genere raptim decerpendum sibi existimant, quantum grauiora studia ne-

*) Fasciolati.

necessario requirere videntur. Non male, prout nunc sunt res nostrae, suadere existimauerim, qui Logices et Metaphysices aristoteleae scholasticaeque elementa breuia, et quantum fieri potest a tricis liberata, retineri in scholis, et adolescentibus instillari volunt, propterea quod amplissimus hodieque eorum sit usus, neque intelligendis cum superioris praecipue, tum etiam nostrae aetatis scriptorum libris, aut disputationibus, quas vocant, audiendis habendisque, quisquam par sit, qui haec neglexerit.*) Addenda vero hisce fuerint recentiorum quaedam inuenta in Philosophiam rationalem inuecta, et propter insignem quem praebent usum, et quod non minus, quam vetera illa, trita iam atque vulgata, neque admodum difficilia sint. In morali et naturali Philosophia vix dubitamus quin aristotelici scholasticique duces adolescentibus omnino deferendi, et quae nostra, patrumue nostrorum, memoria praestantia illuxere ingenia, unice sequenda sint. Vtinam vero existat, qui accommodata huic tempori, apta tironibus, colligata scienter, scripta latine atque perspicue, breuia denique, sed fecunda simul, omnium Philosophiae partium praecepta scholis impertiat. In tanta enim multitudine librorum, quibus viri praestantissimi, omni-

*) Metaphysica, ut est a Wolfio tradita, captum adolescentiae superat.

omnique laude noſtra maiores, orbem ditarunt, aegre inuenias, quí ad ſubſellia adoleſcentum ſeſe demittat, neque aut mole ſua, aut ſublimitate, ſcholae modum excedat. Diuerſorum auctorum, quorum alius aliam ſapientiae partem explicatam dederit, veſtigia non ſine incommodo legi, nemo harum rerum peritus ignorat. In docendis vero Philoſophiae rudimentis praecipuum boni magiſtri officium eſt, ſic reuocare veritatem ad conſcientiam diſcipulorum ſuorum, ut non ex libro eam didiciſſe, aut a magiſtro accepiſſe, ſed ipſi ex ſeſe eam inueniſſe ſibi videantur, ut rationis naturaeque vocem agnoſcant, neque arbitrarias proponi nugas exiſtiment. Si qui tamen ſunt mente paullo infirmiores, iis ſufficiet in his primordiis, auctoris, qui explicatur, ſententiam memoriae mandaſſe, quae notitia, ut ſic dicam, hiſtorica neque ipſa ſuo fructu impoſterum carebit. Quumque vehementer laborare plerosque ſentiamus, in rebus nouis atque a corporis ſenſu remotis percipiendis, non eſt committendum, ut variis Philoſophorum opinionibus commemorandis, examinandis aut confutandis, perturbentur potius quam inſtruantur tirones; niſi forte, quod accidere poteſt, ſententiarum aliquando diuortia obiter velut indice digito demonſtrare iuuet. Illud potius ſpectandum eſt, ut omnia quae declaranda ſuſcepit magiſter non

non memoria ſolum teneant, ſed et, quantum fieri poteſt, accurate intelligant adoleſcentes, quod ſaepe varieque, prout res et ingenia poſtulant, interrogando fieri commode poteſt. Atque ut eo magis ad ea quae agunt mentem aduertant, conſultum fortaſſe fuerit uti libellis, non in quaeſtiones et reſponſiones digeſtis, ſed continente ſermonis filo contextis: quod iſti fere ſine magno fructu ediſci ſolent, hi non minus in docentibus quam in diſcentibus animi attentionem acuunt. Quaecunque opus eſt exemplis illuſtrari, ea non fictis, ſed veris atque utilibus, iisque quam plurimis, illuſtranda ſunt, Logica inprimis et Metaphyſica ſcholaſticorum: ac prudenter cenſuiſſe videtur, qui totam ratiocinandi artem non rectius aut expeditius tradi iudicauit, quam ſi collectas undique malas ratiocinationes, eas praeſertim, quae in ore vulgi ſunt quotidie, proponas, et quare vitioſae ſint oſtendas. Poſtremo totum eruditionis orbem velut in breui tabella ſpectandum exhibere erectis ingeniis, antequam e ſcholae carceribus dimittantur, ut ſciant, quae partes ſint eruditionis, qua ratione inter ſe connectantur et copulentur, quibus auctoribus illa ſteterit vel conciderit, qua via ad eam peruueniri queat, cetera his ſimilia, tam erit frugiferum atque ſalubre, quam turpiter ea res plerum-

rumque negligi ſolet. Si cui plura, quam aut neceſſe ſit, aut capere anguſtae mentes poſſint, ſuadere ingerenda videamur, is cogitet, quaeſo, quam ſaepe adoleſcentibus iure accinatur illud Plinii: poteras has horas non perdere. Qui conſtanter et ordine, fidelium magiſtrorum ductu, in literis verſabuntur, ii certe nec ſuperuacanea nec impoſſibilia praecipi, ſuo exemplo facile docebunt. Iam id agamus, cuius cauſſa hanc tabulam publicamus. Luſtratis nimirum Lycei noſtri curiis, more maiorum orationibus publice habendis condendum eſt luſtrum. VIR igitur EXCELLENTISSIMVS AC SVMME REVERENDVS DN. CHRISTOPHORVS LVDOVICVS HARTMANNVS, ECCLES. ROTENBVRGICARVM SVPERINTENDENS VIGILANTISSIMVS, CONSISTORIALIS ET SCHOLARCHA GRAVISSIMVS, *inſtantis Auguſtanae Confeſſionis Iubilaei memor, eandem contra ſcommata ſtrophasque Foreri, Burchardi Cancellarii quondam Colonienſis, et ſequacium vindicabit.* Nos *de utilitate Literaturae humanioris ad Philoſophiam* diſſeremus. IOH. WILHELMVS Hornung, Reip. Alumnus, *de veriſſimo certiſſimoque recte factorum praemio* paucis aget. Cui ſcholaſticae ſolennitati, ut die craſtini Muſarum noſtrarum Patroni munifici, atque Fautores omnium ordinum honoratiſſimi, frequen-

quentes intereſſe velint, obſeruanter et peramanter peto atque contendo.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, d. xx. April. CIↃ IↃCC XXX.

# XXVIII.

## De praeſidiis et requiſitis inſtituendae iuuentutis.

Excellentium olim Imperatorum aliquis, (Hannibal) quum ludimagiſtrum Phormionem de bellicis expeditionibus ſuſcipiendis, acie inſtruenda, urbibus expugnandis, non ſine faſtu differentem, audiuiſſet, riſum continere non potuit; quod ab homine militiae experte, qui non in Martis arena, ſed in Scholae puluere, aetatem contriuiſſet, multa imperite abſurdeque dici animaduertiſſet. Quod ſi merito ridenda videbatur viro militari umbratica iſta de bello diſputatio, ut non eſt dubium, quis iure ſuo facere neget eos, qui, uſu et experientia confirmati, iuuentutis inſtitutioni vacant, ſi et ipſi explodendas exiſtiment inſulſas illas de rei ſcholaſticae natura voces, quibus multi, cum probae educationis, tum rectae inſtitutionis, rationem pla-

ne ignorantes, et ſeſe iactant, et alios conturbant. Neque enim ulla facile ars eſt, cui hominum iudicia ſubeunda ſint ſaepius, quam quae in teneris animis ad humanitatem informandis verſatur. Alios inconſiderantia quaedam, nonnullos reprehendendi libido, quosdam lenti ſuorum in literis progreſſus, alios alia ad iudicandum impellunt; nec quisquam fere eſt ex ima plebe, qui non arbitri vel iudicis loco ſedere, et incorruptam de rebus ſcholaſticis ſententiam ſe ferre poſſe confidat. Et beatae profecto eſſent respublicae, ſi omnes qui id prae ſe ferunt, ad rem ſcholaſticam iuuandam, ad prolapſam ubique gentium diſciplinam inſtaurandam, ad artes methodo nunquam fallaci, ſi tamen eſt quaedam eiusmodi, adoleſcentibus inſtillandas, ad docendi diſcendique ſubſidia comparanda, aliquid conſilii, vel operae, conferre aut poſſent aut vellent. Nunc quum alius aliter ſentiat, pauci quod publice expediat, multi quod ſuis rationibus arbitrantur accommodatum, conſulant, parum utique ad rei ſummam neceſſe eſt proſici. Hi ſi quaſi ideam quandam, et perfectum exemplar, bonae Scholae, animo ſuo haberent propoſitum, quod ſequerentur in iudicando, ad quod tanquam ad normam reſpicerent, futurum ſane eſſet, ut et minus fallerentur, et melius inter ſe conuenirent. Quum vero non omnino facile promtumue

ſit

fit iis, qui haec non agunt, ea uniuerſa animo complecti, in quibus bonae Scholae poſita videtur conditio, nemo prudentiorum aegre ferret, pro ſuo quemque cognitionis modulo pronunciare; ut non ſuccenſemus, quibus *lurida fiunt quaecunque tuentur*, *arquatis*. Eſt autem, ut Schola aliqua veram ac ſolidam laudem atque celebritatem adipiſci queat, opus tribus potiſſimum rebus, quibus multae aliae continentur. Respublica felix eſſe non poteſt, niſi et bene ſit conſtituta, ne vitio ſtatus, ut artis Magiſtri loquuntur, laboret; et bono utatur Principe Magiſtratuue; et ciues habeat virtutis ſtudioſos. Eundem in modum, ſi parua magnis comparare licet, Scholam primum oportet eſſe ſalutari ordine et legibus deſcriptam. Sapienter ſcilicet praecipiendum eſt, quaenam in ſingulis curiis docenda, quibus auctoribus utendum, ſintne ſtatis temporibus, an ſecus, in altiorem locum promouendi adoleſcentes, omnesne an delecti tantum, et apti, ad ſtudia admittendi, quis diſciplinae coërcitionisue modus obſeruandus, quid Magiſtris ſuo arbitratu facere liceat, quid minus, et multa alia his ſimilia. Alterum eſt, ut, qui docendi munere funguntur, ſint pietatis amantes, et iuuentutis commodis fideliter et pro virili parte conſulere ſtudeant, ut ſint earum rerum quas alios docere debent, quantum ſatis eſt, periti,

nec ignari bonae methodi, cetera. Poſtremo, qui erudiendi ſunt, eos oportet eſſe ad literarum ſtudia aptos natos, et diſcendi quodam ardore inflammatos, ut non cunctanter et faſtidioſe, ſed alacri, et cupiente etiam animo, in bonis artibus verſentur. Qui nec diſcendi voluntatem ſecum in Scholas afferunt, neque eam excitari patiuntur in mentibus ſuis, ii neque ſub optimis magiſtris quicquam proficient. Neque enim, ut ſtatuarius e lapide aut trunco ſignum aliquod imaginemue exſculpit, ita hi ex pueris efficiunt viros doctos. Similis fere eſt docentium conditio, ut ſi quis teneras arbores curet. Has circumfodiunt arboratores, et emundant, ad palos alligant, fimum ſubdunt, humorem quandoque affundunt. Ceterum niſi et ipſa arbor ſit bonae indolis, et terra commoda, horti item ad ſolem ventumque poſitus, aërisque temperies, perit omnis labor, et ſpes colonum deſtituit. Sic Iuuentutis magiſtri muneris quidem ſui partes explere, fructum autem euentumque praeſtare non poſſunt. Neceſſe eſt igitur tria illa, quae diximus, et quae iſtis ſubiiciuntur, coniungi copularique, ſi florere Scholas, et ex omni parte beatas eſſe volumus. Cetera, quae huc pertinere vulgo exiſtimantur, conſequuntur interdum ex tribus iſtis, non autem ullo neceſſitatis vinculo cum iis connexa ſunt. Sic frequens exterorum afflu-

xus,

xus, ludi ſcenici à Scholaſticis acti, crebrae diſputantium concertationes *), et quae ſunt his ſimilia, magnam admirationem concitare poſſunt apud eos, qui quouis ſplendore capi fallique ſe patiuntur. Sed qui accuratius conſiderare ſolent, non quam ſplendide, ſed quam recte, quam prudenter, quibus de cauſſis quidque fiat, ſaepe aliter iudicandum exiſtimant. Haecce praefandi occaſionem nobis praebuit Examen vernale his diebus inſtitutum, cui publicis habendis orationibus, et praemiis, recepto apud nos more, diſtribuendis, finis imponi conſueuit, quam ſolemnitatem his tabulis indicimus. Ac primum quidem VIR SVMME REVERENDVS, CHRISTOPHORVS LVDOVICVS HARTMANNVS, SS. TH. D. ECCLES. ROTENB. SVPERINTENDENS, *de Aboriginibus Scientiarum* diſſeret. Tum RECTOR *de impedimentis bonae inſtitutionis* breuiter exponet. Poſtremo IO. GEORGIVS Herrnbaur, Reip. Alumnus, quem vitam et ſtudia ſua omnibus bonis probaturum ſperamus, eoque nomine, iuuenem parentibus orbum, Maecenatum benignitati enixe commendamus, *de neceſſaria homini erudito plurium linguarum cognitione*, quod argumentum ſuo arbitratu delegit, verba faciet. Cui Actui, ut Generoſi et Magnifici Reip. Proceres, ceteri omnium ordinum Viri Praeſtantiſſimi eruditiſſimique,



*) *Vid. Morhof. Polyhiſt. L. II. c. X. et XI.*

que, et quicquid literatorum in urbe est hominum, die crastini, xv. Kal. Mai. in auditorio noto celebrando, frequentes interesse, et Gymnasium nostrum splendore et beneuolentia sua recreare dignentur, ea qua par est obseruantia petimus atque contendimus.

P. P. XVI. Kal. Maii. CIↃ IↃCC XXII.

## XXIX.

## De Bibliotheca Rotenburgensi.

Praestantissima quaeque veterum recentiorumque scriptorum monumenta diligenter colligi, atque ad communem hominum studiosorum usum destinari, *) et vehementer utile, et, pro locorum temporumque conditione, plane necessarium interdum esse, nemo fortasse, qui uniuersam rei literariae rationem, aequa perpenderit lance, inficias iuerit. Quot enim insignia prisci temporis volumina, quot egregii libri, quibus omnis aeui, omnium rerum pace belloque gestarum, omnium artium disciplinarumque, omnium magno-

rum

*) Vid. Erasmi praefat, in opera Hieronymi.

rum virorum, continetur memoria, aut periissent omnino, aut peritura forent, nisi publica quaedam custodia aeternitatem illis daret? Quot eruditissimis hominibus, quot praeclaris ac fructuosis ipsorum laboribus, orbi carendum esset, nisi multorum ingenia, quae bonae mentis soror paupertas premit, in Bibliothecis tanquam prytaneis alerentur. Nunquam Martinus Chemnitius *), clarissimum illud Ecclesiae nostrae sidus, nunquam Ianus Gruterus, nunquam Claudius Salmasius, celebratissima nomina, ut ex multis paucos memorem, ad tantam doctrinae laudem, qua ille puriori fidelium coetui, hi literariae reip. tantum profuerunt, fuissent peruenturi, nisi Bibliothecarum publicarum praesidio potuissent uti. **) Neque ullo propemodum alio testimonio certius constat, publice magni fieri bonas artes, quam si necessaria his recte digneque tractandis supellex haud parce subministretur. Qua re excitari necesse est studiosae adolescentiae

 animos,

*) De M. Chemnitio vid. Rehrmeyeri Hist. Eccles. Brunsuic. P. IV. p. 290. coll. 298.

**) Justum Lipsium etiam ex Bibliothecis publicis profeciſſe multum, eius vita operibus praefixa docet Binghami Antiquitates Ecclesiasticae Bibliothecis publicis originem potissimum debent. vid. praefat. T. I. p. 32. J. F. Gronovius magnam eruditionis partem Bibliothecis publicis debuit et famae parandae occasionem. vid. eius vita Hamb. edita in 8.

animos, ut praeclare de literis ſentiant, et cupiditate quadam cognitionis atque doctrinae incendantur, ac rerum argumentis reuicti ſciant, quemadmodum armamentaria inſtruantur in ciuitatibus, ex quibus tela et arma, cum opus eſt, peti poſſint ad hoſtes repellendos, ſic librarias haberi, barbariei inſultibus, quae ingeniis eſt infeſta, auertendis compeſcendisque. Neque eſt, ut eos hic audiamus, qui ſuos cuique libros, quos ſuo comparauerit aere, eosque paucos, ſufficere debere exiſtimant, ut Melanchthonem tribus quatuorue libris contentum fuiſſe mendax fama vulgauit. Satis eſt ad bonam mentem, et ad communia vitae ciuilis officia, aliquot bonae notae auctores ad manum habere: ad eruditionem vero comparandam, ad literas docendas, ad religionem tuendam, ad publicum uſum, ad reip. dignitatem, ad ſaeculi ornamentum, inſtructioribus opus eſt copiis; in hac praeſertim doctrinae luce, quae, diuino beneficio, meliorem orbis partem illuſtrat *). Si quis veteres ſcriptores, quos Graecia pariter ac Latium tulit, tum eos, qui a ſacris chriſtianis alieni fuerunt, tum, qui res atque doctrinam Eccle-

*) Bibliotheca ad ſufficientiam ſ. αὐταρκειαν reip. pertinet. Ut ſecuritati et fortunis ſubiectorum proſpicere debent rectores populorum, ſic et animis et ingeniis, pauperum praeſertim. vid. Conring de Bibliotheca auguſta. p. 48. 49.

Ecclesiae illustrarunt; si porro ex medio, et postremo nostroque aeuo vel praecipuos tantum, et qui talia tradunt, quae apud alios frustra quaeras, recensere instituat, eundo per omnia disciplinarum, sectarum, nationum genera: quantam quaeso librorum copiam inueniet, non superuacaneorum, sed quibus diuinae omnis et humanae sapientiae studia carere nullo modo possint. Iam in hac tanta multitudine delectum instituamus, et excerpamus eos, quibus consulendis nemo, cui uniuersum disciplinarum orbem lustrare animus est, quod sane ab iis, qui ultra vulgus sapere cupiunt, omnino faciendum, supersedere potest, nam qui uni tantum arti, tanquam glebae est adscriptus, neque liberaliori quodam sciendi desiderio mouetur, eum paucis etiam rem suam gerere posse non negamus, vel hi tamen numerum efficient satis amplum, ut ad eos comparandos paucorum facultates, ut plerumque in re tenui φιλομαθεῖς esse solent, satis magnae sint. *) Ac posteritatis etiam ratio habenda est, ad quam praeclara virorum eruditorum opera, Bibliothecarum publicarum ope, commodissime transmittuntur. Priuatorum enim libros ea plerumque fata manent, ut ubi in secundi tertiiue haeredis peruenerint manus, aut male dispergantur, aut

*) Sit bona librorum, et prouisae frugis in annum Copia.

aut thuris piperisque cuculli fiant, aut angulo aliquo abditi, a tineis, blattis, muribus, corrodantur, vel humore situque corrumpantur, aut tanquam foenum a canibus custodiantur. Quod si vel maxime, ingenua possessorum, innoxiaque, liberalitate, uni alteriue aditus ad eos concedatur, ad omnes tamen ex iis redundare utilitatem, et publici usus eos fieri, res ipsa non sinit. Exempla si quem magis forte quam ratio moueant, oculos per cultiorem Europam circumferat, et hanc semper curarum publicarum partem, a maximis sapientissimisque populorum rectoribus, fuisse habitam deprehendet, ut Vrbes, Academiae, Scholae, ornarentur Bibliothecis, quantum fieri posset, instructis, atque ad variae eruditionis usum accommodatis, ad quas aditus pateret volentibus: quas nominatim commemorare huius loci atque propositi non est. Nostra etiam Resp. cui nec optima instituta, nec prudentissimi Magistratus, unquam defuerunt, adornandam iam olim Bibliothecam suscepit, atque a tenui profectam initio liberaliter auxit: quae, ne obscuritate sua ipsa sibi obsit, sed in notitiam ciuium nostrorum, adolescentiae praesertim studiosae, perueniat, et fautores amicosque paret, arrepta hac publicae scriptionis occasione, breuiter de ea, quae memoratu quidem digna videbuntur, exponam. De prima

ejus

eius origine nihil habeo certi: id satis mihi compertum est, paullo ante finem saeculi XV, iam habuisse clerum urbis nostrae apparatum quendam librarium, cui legatis ac donationibus, sed non nisi singulorum voluminum, praeter ea, quae emta fuerunt, paullatim accessio quaedam facta est. Non defuisse manuscripta, tum alia quaedam, tum trium quatuorue codicum reliquiae suspicionem faciunt. Est in his codex chartaceus, in fol. quo continentur. 1. *Speculum B. Mariae Virginis*, i. e. CLXII sermones in eius laudem. 2. *Distinctiones exemplorum noui et veteris Testamenti, abbreuiatae et reductae ad diuersas materias secundum ordinem alphabeti, per Fr. B. de Semis.* *) 3. *Speculum humanae salvationis*, **) cuius singulae paginae rudibus ridiculisque figuris pictae sunt. Descri-

*) Hic liber alias inscribitur *aurea Biblia*, ut ex clausula patet. Typis etiam descriptus, latine et germanice, exstat. vid. Schelhornii V. Cl. amoenit. litt. T. III, p. 142. Abstinendum esse Religiosis et Clericis ab esu carnium ex eo probat auctor, *quia uxor Ieroboami, vadens ad Achiam Prophetam, tulit panem et mel, carnem vero non legitur attulisse*, item, quia *pulmentum et panes, sed non carnes, per Abacuk transmisit Dominus Danieli.*

**) De Spec. H. S. egit novissime B. C. B. Wideburg. Prof. Jen. in der ausführl. Nachr. von einigen deutsch. alten. poet. MSten in der Jenaischen Biblioth. Jenae 1754. in 4. edita. Pretium docet eius singulare.

ſcriptus eſt totus codex una manu 1452.*) Alius codex, forma chartae in quatuor folia complicatae complectitur 1. *Directorium per Ioh. Aurebach*, *Doct.* compoſitum, *pro inſtructione ſimplicium Presbyterorum in cura animae.* 2. Anonymi tractatum *de arte moriendi.* 3. Orationem ad Barones et Nobiles Bohemiae adverſus Rokyzanam, Iohanne Capiſtrano, niſi fallor, auctore. Rokyzanae epiſtolam ad Capiſtranum de colloquio Crumlouiae habendo, et Capiſtrani ad hanc reſponſionem, ſcriptam anno 1452. **) 4. *Auream Bullam.* 5. De coronatione Friderici III. Imp. et Auguſtae narrationem, non niſi quinque conſtantem foliis. ***) *Index in D. Hieronymi opera, per Ioh. Teuſchlinum Th. D.* et

*) Prima huius codicis pagina habet aliquot formulas abſoluendi excommunicatos, in quarum una notatu digna ſunt verba: reſtituo te innocentiae baptiſmali. Eſt et in eo libellus de conceptione Mariae Virg. item Caſus papales et epiſcopales; (vid. Bulla Sixti, Summae Baptiſtinianae ſubiecta.) i. e. enumeratio peccatorum, quorum venia a Papa et Epiſcopis petenda eſt.

**) Reperiuntur hae, ut ex *diſſertatione* exaſciata *de Ioh. Rokyzana*, *quam Vir Celeb. Ioh. Dauid Koelerus* edidit, coniicio, apud *Cochlaeum* in *Hiſt. Huſſitarum.*

***) Nondum editam putabat vir quidam Clariſſimus, qui eam hic vidit. Saltem particulae ejus quaedam leguntur in Sigiſm. a Birken Spiegel der Ehren ꝛc.

*et Concionat. Rotenb.* congestus, nondum editus, similis ei, quem idem Teuschlinus in Augustinum confecit, ac Norimb. 1517. fol. excudi curauit. *) Accessit his anno 1621. *codex Terentii manuscriptus*, sed parum vetustus, ex dono hæredum Ioh. Offneri, Viri Consul. Inter impressos inuenias satis antiquos, ex quibus, quaenam typographiae paullo post eius exortum facies, quae incrementa, fuerint, non sine voluptate, cognosci potest. In horum numero sunt, *Psalterium germanicum*, cum glossa, *auctore Lyra*, ut habet praefatio, fol. min. *Augustinus de ciuitate Dei*, cum commentariis sane barbaris et insicetis, fol. *Catena aurea s. continuum in* IV *Euangelia Tho. de Aquino*, *fol. Liber de consolatione Theologiae*, *Ioh. de Tambaco*, **) *fol.* Boëthii imitatione sic inscriptus

*) Huic indici orationem ad D. Augustinum praemisit Teuschlinus, in qua his verbis utitur: Nescio finem meum, nescio si sim dignus amore vel odio, quare tremens et pauens quotidie mortem exspecto etc. Quae quanquam ex sententia ecclesiae pontificiae scripsit, tamen rusticana seditione implicitus, capite poenas luit. Edidit quoque Diffinitiones editionis Donati minoris, Lips. 1505. in 5.

**) De Io. de Tambaco Consol. Theol. libro rarissimo vid. Quetif. Scriptor. Ordin. Praedicator. T. I. f. 668. Oudinus de Script. Eccles. T. III. f. 1048. Fabr. Biblioth. M. et I. L. Vol. IV. p. 436. Schvvind. Wochentl. Nachr. p. 87. 1747.

ptus, ceterum illi valde dissimilis. *Caesarii Heisterbacensis* *) *dialogus miraculorum*, *fol. min. Didascalon Magistri Hugonis* **) *fol. min. Speculum morale Vincentii*, item *Speculum eius naturale*, *fol. mai. Catholicon Ioh. de Ianua*, *fol.* ***) *Disputatio*

*) Vid. Ioh. Fabric. de Bibl. sua.

**) Hugonis Didascalum, sexque priores eius libros adeat necesse est, qui statum formamque liberalium artium hoc aeuo, rationemque tractandi eas intelligere cupit. Mosh. H. E. p. 568.

***) Liber grammaticus, cuius maximam partem Lexicon, partim verbale, partim reale, ut vulgo loquuntur, occupat. Saepe enim, occasione unius vocabuli, locum e theologia vel philosophia pertractat. De Cath. I. de Janua egit noviſſime Mich. Richey in Idiotico Hamburg. edit. II. in IV. appendice. De Catholico Io. de Janua vid. Diecmanni Specimen Gloss. MSti lat. Theotisc. p. 3. it. Biblioth. Aprof. p. 215. edit. Wolf. Suum quoddam Catholicon venerantur, quod pluribus erratis quam Pardus maculis, adsperſum est. *Bapt. Mantuanus in Apologia, et ex ea Hotting. Histor. Eccles. Saec. XVI. P. I. p.* 163. Rariſſimum etiam ait Schelh. in Amoenit. Lit. T. V, p. 29. Vid. Mantuani Apologeticon, Parthenico praemiſſum lit. a col. ultim. edit. Venet. 1499. in 8. Erasmus in Antibarbaro, libro Argentor 1520. in 8. edito p. 73. Est qui omnium errorum sylvam Catholicon ausus est appellare. Schelh. T. II. p. 425. Zwingerus in orat. de Barbarie etc. vid. Burckh. de F. L. L. Conf. Schelh. Amoenit T. II. p. 363. qui raritatis testem citat Stumpfii Schweiz Chr. L. XIII. c. 35. fol. 116. Edit. Tigur. 1586. fol. Lexica realia etiam sunt Raynerii Pantheologia. de Turrecremata materia aurea, Summa Baptistiana, Summa Angelica.

*tatio inter Clericum et militem, super potestate praelatis ecclesiae, atque principibus terrarum commissa, sub forma dialogi*, libellus facetus et mordax, in 8. *Fr. Petrarchae antiquissima editio sine mentione loci, anni, Typogr. Innocentius de miseria humanae conditionis*, in 8, qui plerique in magna typorum ruditate, nitore tamen non carent, neque ullam typographi, loci, temporisue mentionem habent adiectam. *Clementis* v *Constitutiones, Argentorati*, 1471, *per Henr. Eggestein. Consuetudines feudorum, ibid. per eund.* 1472. *) *Institutiones Iustinian. cum Glossa, Mogunt. per Petrum Schoyffer*, 1472. *Decretales Gregorii IX. cum Glossa*, 1473, *ib. per eund.* **) *Authentica, et tres libri postremi*

*) Io. Pe. a Ludvvig editionem romanam anni 1476. fol. vocat vetustissimam, et addit: Nam Germania eo tempore quo nondum recepta erant in foro iura romana, noluit ea prelo committere, vid. eius vsus modern. Instit. p. 24. nota **.

**) Subiecti sunt huic libro sex epigrammata, quorum alterum inscribitur: *Apologia vel excusatio Cleri de ignorantia et carentia librorum*, cuius utriusque caussam auctor reiicit praecipue in caritatem manuscriptorum, quae praeterea plerumque sint mendosissima, et longinquitatem Scholae Parisiensis. Tandem sic concludit:

Has ob res libros clerus non comparat, immo,
Tantis pertaesus abstinet incommodis.

*mi Codicis, cum Gloſſa*, 1477, *ib. per eund. Speculum aureum decem praeceptorum Fr. Henrici Herp, ibid. per eund.* 1474. *Speculum iudiciale Duranti; non calamo, ut priſci quidem, nec penne tractu, quo ipſi fruimur, verum exſculptis ere litteris, diuino ſuggeſta Spiramine imprimendi arte transpictum -- in celebri Argentinorum urbe, factoribus Ieorio Huſsner, et Ioh. Bekenhub, Clerico Moguntino*, 1473. Haec in calce leguntur. *Hiſtoria ſcholaſtica a Petro Comeſtoris edita, per Guntherum Zainer*, 1473. *Speculum Hiſtoriale Vincentii Bellouac.* 1474, ſine mentione loci et typographi. *Rainerii Pantheologia* 1474, *Norimb.*

Et ſic depaſcit paſtor dum paſcere neſcit;
Ductor ſeducit; nomen habens reducis.
Hinc erit ut populus, ſic princeps, ſicque ſacerdos;
Quos; ne fungantur, pelle ſacerdotio.

Tertium eſt *excuſationis repulſio*, *et artis impreſſoriae commendatio*, in quo paupertatem praetexens ſic reſpondet:

Pauper es. Et lodex tibi pulcra. Vorans quoque liber, (i. e. *concubina.*)
Te ditet codex, nil comedensque liber.

Poſtremum, quod eſt omnium maxime memorabile, *de primorum artis magiſtrorum typo, et Petri* ſcil. Schoyfferi *praeconio*, legitur etiam in calce Inſtitutionum, et inſertum eſt a Cl. Schelhornio Amoenit. litt. To. IV, p. 303. In omnibus, quos commemoraui, a Schoyffero excuſis, Moguntia typographiae repertrix celebratur, quod ſi res ſecus ſe habuiſſet, ſine dubio Eggeſtein aut Huſſner contradixiſſent.

*Norimb. per Anton. Koburger. Summa Galensis s. communiloquium, Augustae per Anton. Sorg, 1475. Codex Iustinianeus, Norimb. iussu Andreae Frisner, Bunsidelensis, et Ioh. Sensenschmid, 475. *) Fr. Hugonis opus de prato florido intitulatum, per Ieorium Hussner, Argent. 1476. Iacobi Ianuensis Legendae sanctorum, per Ant. Koburger, Norimb. 1478. Summa Astexani de casibus, Coloniae, 1479. Omeliarium, cum prologo Karoli M Spirae, per Petrum Drach, iuniorem, 1482 fol.* quam primam omnium postillam credunt.**) Biblia germanica, *per Antonium Koburger, Norimb.* 1483, *fol. Historiale Antonini*, 1491, *per A. Koburg. fol. Hartmanni Schedelii Chronicon*, ***) *Norimb.* 1493, *fol. Reuelationes Brigittae*, ****) *Lubecae*, 1492, *fol. impressit Barthol. Gothan.* *****) Eaedem

V 2

*) In quo literae rubrae, item lineae rubrae versibus subductae, non sunt manu pictae, ut tum moris erat, sed impressae.

**) Egit de hoc Omeliario Ioh. Heinr. a Seelen, in selectis lit. vid. Vogt. Ind.

***) Heumann. p. 368.

****) De Reuelat. Brigittae vid. Herm. Conringii Animaduersio in Nouenam Antonianam, p. 35. seqq. it. discussio eorum quae animaduersioni opposuit Dionysius Werlensis. p. 292. seq.

*****) Reuelat. Brigittae edit. Lub. iam saeculi 16. initio in Germania superiori rara fuit, ut ex praefatione editionis germanicae patet, quae sumtibus Floriani a Waldstein germanice conuersa, precibus Maximiliani Im-

*dem germanice, Norimb.* 1502, *per Ant. Koburg. fol. Epiſtolae Ciceronis familiares cum comment. Hubertini Creſcent. et Martini Philetici, Lugduni, per Iac. Zachon.* 1505, *fol.* *) *Miſſale Herbipolenſe,* 1509, nitidus liber. *Miſſale germanicum, Baſileae* 1518, *fol. Antonii de Gislandis opus aureum ſuper Euangeliis totius anni, cum octo millibus dubiis exactiſſime declaratis, Lugduni,* 1508, *fol. Stella Clericorum* 1494, *in* 8. **) *Liber de vita et morte Areſtotelis metrice conſcripta, cum gloſſa interlineali, in* 8. ***) Ein ſchon bewerts Lied vonn der reynen unbefleckten Entpfengnüß Marie -- Unnd dabey die wor Hiſtori von denn fier ketzeren prediger ordens der obſervantz zu Bern inn Eydgenoſſen verbrannt, kurtz noch

Imperat. a Koburgero impreſſae ſunt. vid. omnino praefat. germ. edit.

*) Nulla fit mentio huius edit. in Bibl. Lat. Viri ſummi I. A. Fabricii, in fronte Iacobi Huguetani Bibliopolae Pariſ. (cuius ſumtibus ſine dubio prodiit) nomen gerit, ac praemiſſa ſunt epiſtolis alia opuſcula.

**) Lit. B. 1. haec verba habentur: Cum ergo tantae dignitatis ſit ſacerdos, quod creator ſit ſui creatoris et totius creaturae, ipſum perdere vel damnare inconueniens eſt.

***) Alia eſt haec editio ab ea, qua Celeb. *Heumannus* uſus eſt, qui hoc Poema recudi curauit *in Actis Philoſ.* P. xv. Confirmat ea aliquot ſagaciſſimi Critici emendatione.

noch der Geſchicht begriffen, *in* 8.*) *Libri IV. de Imitatione Chriſti*, qui et in fronte et in calce nomen *Ioh. Gerſon*, **) tanquam auctoris, praeferunt. *Auguſtae*, 1488, *per Erhardum Ratdolt*, *in* 4. Cui bono, dicat fortaſſe aliquis, iſta obſoletorum librorum recenſio, quos qui legere vellet, oleum et operam perderet, quosque adeo ſatius eſt aeternis tenebris damnare. Sed mitiorem ſententiam pronuntiabunt, qui ſic exiſtimant, vbi conſiderauerint, non alio modo rectius nos de toto rei literariae et eccleſiaſticae ſtatu, qui fuit, ante ſacerorum a Luthero coeptam inſtaurationem, poſſe cognoſcere, quam ſi illa ipſa monumenta, quorum auctores odii et amoris, editiones vero corruptionis aut interpola-

 rionis,

*) Lit. A 11 in praefat. haec leguntur: Vindeſt du fleiſſiger Leſer in dieſen Büchlein ein ſchons Lied — das dir augenſcheinliche und wore werſchafft thut, wieder alle beflecker oder beſcheyſſer der reynigkeit Marie. vid. Some Letters — Written by G. Burnet. Rotterdam, 1687. p. 29 - 40. Conf. omnino Hotting. Hiſt. Eccleſ. Sec. XVI. P. I. p. 333. ubi rara eſſe dicit huiusmodi de hac re ſcripta, et ipſe integrum libellum eius generis recudi curauit. Eſt et in Bibliotheca Rotenb. alius de hac hiſtoria libellus, hoc titulo: *Dialogus* Bruder Götzer. vid. Vol. 44. Miſcell Theol. germ. nr. 8.

**) vid. Naudaeana, p. 93. et 216. 251. 245. 239. et Epiſtolam de punctis controuerſiae Kempiſianae praecipuis C. R. P. in Amoenit. Schelhorn. To. VIII. p. 391. it. Hubneri praefat. in Kempiſ. carmine a ſe reddit. Lipſ. 1727. in 8.

tionis, ſuſpicione carent, per otium inſpi-
ciamus, et illorum ſaeculorum ingenia,
mores, ſtudia, virtutes, vitia, cetera,
oculis noſtris quaſi coram uſurpemus, quae
res magnam utilitatem ſimul ac voluptatem
adferre poteſt intelligentibus. Sed in viam
eſt redeundum. His quos enumerauimus
et horum ſimilibus, libris, conſtabat Bi-
bliothecae noſtrae rudimentum, cum Lu-
therus ſcriptis ſuis omnium animos quaſi e
ſomno excitaret, et eruditio nitidiorem in
Germania faciem nanciſceretur. Sequen-
tibus temporibus, melioribus paullatim
aucta eſt, ex quibus indicare quosdam in-
ſtituti ratio iubet. Dignum eſt, quod pri-
mum in ſcenam producatur, *Nouum Teſta-
mentum graecum*, cum verſione et anno-
tationibus primum *ab Eraſmo* 1516, *in fol.
editum*, opus raritate commendabile, et Bibli-
othecae ornamentum. Huic comitem damus
*Noui Teſt. a B. Luthero noſtro germanice
conuerſi editionem primam*, *Vitemb.* 1522,
*in fol. editam*, etſi eius nomen nusquam
appareat. Eodem volumine continetur
etiam prima *Pentateuchi editio germanica*,
quae titulum Veteris Teſtamenti, et no-
men Lutheri, in fronte gerit. Nulla hic
anni mentio. In fine adiectae ſunt emen-
dationes. Eſt etiam N. T. germ. cum No-
tis Hieronymi Emſeri, Coloniae 1529, in
fol. qui confecit, vel compilauit potius,
hanc translationem iuſſu Georgii Saxoniae
Ducis,

Ducis, et Schleyniciorum, Miſenenſis et Merſeburgenſis Epiſcoporum, ut Lutheri verſionem e manibus hominum eriperet, cui et, quae paſſim annotauit, ſunt oppoſita. it. Biblia germanica Lutheri integra 1541 Vitemb. per Ioh. Lufft in fol. excuſa. Sequatur iam turba promiſcua. Lutheri Auslegung der Epiſteln und Evangelien vom Advent biß auf den Sonntag nach Epiphanie. Colmar 1523. fol. *) Quinquaginta circiter volumina in 4 Miſcellaneorum Theologicorum, in quibus multa iſtius temporis ſcripta germanica, paucis fere plagulis conſtantia, inſunt, quae nunc rarioribus, et dignis, quae curate aſſeruentur, merito annumerantur. Ambroſii, Hieronymi, Chryſoſtomi, Origenis, Theophylacti, aliorumque Patrum, Ioh. Huſs, Lutheri, Brentii, Melanchthonis, Vrbani Rhegii, opera, in Tomos digeſta, Centuriae item Magdeburgicae. Nec praetereundi libri haud ubiuis obuii, quos Primus Truber, cuius praecipuae in eo opere partes fuerunt, Antonius Dalmata, et Stephanus Conſul, in Croaticum ſermonem transtulerunt, et Baronis Vngnadii, aliorumque, ſumtibus, annis 1562. et 1563. Tubingae in 4 excudi curarunt, ut loci Melanchtho-

 nis,

*) Vid. Wendleri ἀξιόγνωσα praecipuorum quorund. Saec. 16 et 17. Theolog. p. 53, quem citat. Tenzelii Monatlr. 1695. p. 257. Ait hanc Poſtillae partem primum 1522 in 4to editam fuiſſe.

nis, literis croaticis, tum et cyrulicis; Auguſtana confeſſio, cyrulicis, dein etiam glagolicis; quatuor Euangeliſtae et Acta Apoſtolorum, literis glagolicis, cum praefat. germ. memorabilia quaedam eius gentis pandente; Breuis explicatio Euangeliorum dominicalium, charactere croatico, et eadem cyrulico. *) Poſtilla Bohemica Ioh. Huſs in Euangelia, et Iacobelli in Epiſtolas, 1564, fol. Poſtilla Sclauonica Mart. Lutheri, per Primum Truberum, Tubingae, 1595, literis latinis. Maxima incrementa ſupellex noſtra libraria cepit, niſi fallor, iis annis, quibus Andreas Libauius et Elias Ehingerus huic bonarum artium officinae recens inſtauratae, et in nouum domicilium translatae, praefuerunt. Horum enim, ut arbitror, conſiliis effectum eſt, ut veteres praecipui auctores graeci, qui hactenus penitus exulaſſe videbantur, hiſtorici item nonnulli, et alia item rei ſcholaſticae neceſſaria compararentur. Inde nobis eſt Homerus cum enarrationibus Euſtathii, edit. Baſil. Euripides, Xenophon, Iſocrates, Demoſthenes, Lycophron, Polybius, Pauſanias, Thucydides, Sophocles, Plato, Apollonius Rhodius, Plutarchus, Diogenes

*) De literis Cyrulicis et Glagolicis, vel Glagoliticis potius, vid. *Iob. Leonh. Friſchii*, Viri Cl. commentatio, *de origine characteris Sclauonici*, Berolini anno ſuperiori edita. Literae croaticae et glagoliticae eiusdem plane figurae ſunt.

nes Laertius, et hi sex postremi quidem ex officina Henr. Stephani, Strabo Casauboni, et alii. Inde Vrstisii, Pistorii, *) Reuberi, Freheri Scriptores rerum germanicarum, Helmoldus, Albertus Kranzius, Auentinus, Saxo Grammaticus, Bonfinius, Cromerus, Sabellicus, Annales Baronii, Zvvingeri Theatrum, Gruteri inscriptiones, et quae primo loco commemoranda fuere Biblia regia Antvverpiensia, splendidum illud et sumtuosum opus, et alia, quae enumerare longum est. Inciderunt deinde luctuosa illa cum toti Germaniae, tum Ciuitati praesertim nostrae, tempora, quae conticescere iubebant Musas, et summa imis miscebant, ut, quod praeclare coeptum erat, Bibliothecae ornandae ditandaeque opus, non solum interrumperetur, verum etiam multa volumina dissiparentur et interirent. Neque vero Praenobilissimus Reip. Senatus, ubi spes meliorum temporum redierat, omnem huius alumnae curam abiecit, sed itemtidem ei benigne prospexit, **) neque



*) Pistorii non nisi secundi Tomi pars manca adest; nempe Fasciculus temporum, et Mutii Chronicon, Sylburgii To. I. Scriptorum Histor. Rom. minor. a bibliopego adiunctum. s. tit.

**) Ex iis, quae quarta hac periodo Bibliothecae nostrae illata sunt, ob raritatem memorabiles habentur, *Hieronymi Vecchietti, de anno primitiuo mundi ad annum Iulianum accommodato, et temporum sacrorum ratione libri octo. Augustae Vindel.* 1621

dubium eſt ullum, quin, otium concedente Deo Germaniae perpetuum, etiam illa huius

1621 *fol. mai.* pontificia auctoritate proſcripti, propter quos auctor multis annis in carcere detentus fuit. Vid. Iani Nicii Erythraei Pinacoth. P. 1, p. 196. conf. Tho. Campanella de libris propriis et recta ratione ſtudendi Syntagma, c. IV, art. 3, Iob. Ludolfus Comment. ad Iliſt. Aethiop. p. 20. Item *Ph. Melanchthonis Loci communes rerum theologicarum ſeu hypotypoſes Theologicae*, quarum duas antiquiſſimas editiones nuperrime nacti ſumus, primam videlicet, anni 1521, in 8, paucis eruditorum viſam, et iam Leonhardo Huttero deſideratam, cui, quanquam cel. Hardtius eam recudi fecerit, tamen pretium ſuum conſtabit; et ſecundam, charactere minutiori, itidem in 8, quae inſcribitur: *Theologicae hypotypoſes. recognitae ab Auctore, Wittenbergae*, nec anno nec typographi nomine expreſſo. Multa in ea, more ſuo, Melanchthon immutauit. Nec omittere hic poſſum, de quibus multi, ſed pauci teſtes oculati, tradiderunt, *Andreae Hyperii de recte formando Theologiae ſtudio libros IIII*, primum *Baſileae* per *Ioh. Oporinum* 1556 *in* 8 impreſſos, deinde omiſſo *Hyperii*, alieque praeſcripto nomine, recuſos. Integer titulus ſic habet: *De recte formando ſtudio theologico libri quatuor, ac de formandis ſacris concionibus libri tres, omnes collecti et reſtituti, per fratrem Laurentium a Villauincentio, Xerezanum: Doctorem Theologum: Auguſtanum Eremitam. Nunc denuo diligentiſſime correcti et emendati, cum indice rerum et verborum locupletiſſimo. Coloniae Agrippinae, apud haeredes Arnoldi Birckmanni, MDLXXV, cum gratia et priuileg. S. Caeſ. Mai.* Sed noſtrum Exemplum, in quo tamen nullum mutilationis indicium, non niſi III priores libros Hyperii de recte form. ſtud. theol. continet, paſſim

huius felicitatis aliquem perceptura fructum, et testimonio futura sit posteritati, nunquam refrixisse in urbe nostra literarum amorem, sed semper fuisse, qui, pro insigni sua sapientia, foouerent eas amplificarentque, ac nomen adeo suum aeternae consecrarent memoriae. Ac huius adeo, dignissimae sapienti Magistratu, curae specimen his diebus vidit Lyceum nostrum, quibus solemni examine in profectus adolescentiae scholasticae inquisitum est, cuique die crastini, habendis orationibus, more recepto, finis est imponendus. VIR igitur SVMME REVERENDVS, CHRISTOPHORVS LVDOVICVS HARTMANNVS, SS. TH. D. ECCLES. ROTENB. SVPERINT. *de Targumim* sermonem habebit. Nos *de rei literariae vicissitudine* verba faciemus. Denique IOH. WILHELMVS FREY, Reip. Alumnus, *merita Caroli M. in rem ecclesiasticam et literariam* edisseret. Quem Actum ut Generosi, Magnifici, et Praenobilissimi Reip. Proceres, ceterique omnium ordinum, suis quisque honoribus titulisque

passim quidem, ut magis ad palatum Romanensium essent, interpolatos, omissis ceteris, quae titulus promittit, item dedicatione ac praefatione priore Hyperii. Non alienis pennis superbire, sed pia fraude suis prodesse voluisse videtur bonus ille frater Laurentius, cuius nomen nusquam nisi in titulo comparet. Qui de hoc plagio, ut existimatur, mentionem fecerunt, citantur a Viro consummatissimo, *I. F. Buddeo, in Isagoge Hist. Theol. p.* 13,

que ornatiſſimi praeſtantiſſimique Viri, et quidquid literatorum in urbe noſtra eſt hominum, frequenti conuentu ſplendidiorem velint efficere, ea, qua par eſt, obſeruantia, petimus atque contendimus.

Rotenb. ad Tub. P. P. d. VIII. Apri.

CIↃ IↃCC XXVIII.

## XXX.

## De librorum neceſſitate et bibliothecae incremento, item de Speculo Saluatoris.

Viginti ſeptem abierunt anni, ex quo memorabilia Bibliothecae, quae in Sacello D. Michaeli ſacro aſſeruatur, in Programmate ſub finem examinis ſcholaſtici edito, breuiter deſcripſimus. Propoſitum nobis tum erat, ſtudioſis adoleſcentibus, ſi qui forte hiſtoriae literariae cognoſcendae amore ducerentur, hanc operam gratificari, ut ſcirent, quorum librorum inſpiciendorum opportunitatem ſupellex urbis noſtrae literaria ipſis praeberet, neque ſane ut foris etiam ea ſcriptiuncula innoteſceret, unquam futurum ſuſpicabamur. Sed quum, neſcio quo pacto, in manus eruditorum aliquot

quot hominum, extra urbis noſtrae moenia, incidiſſet, quod indicium faciebat librorum aliquot non ubiuis obuiorum, non ingratum id ipſis fuiſſe adparuit. Nam et *C. G. Schvvarzius*, V. Cl. qui colligendis libris inde a typographia inuenta editis intentus erat, ea permotum ſe nobis teſtatus eſt, ut Altorfio ad nos excurreret, codicesque noſtros ſuis ipſe oculis, non ſine quadam animi voluptate, contemplaretur; et *B. Iac. Frid. Beyſchlagius* totum Programma *Sylloges* ſuae *Tomi I. faſciculo IV.* inſeruit, eaque re, ut a pluribus legeretur, effecit. Ad eas, quas in iſta tabula enumerauimus, copiolas, nunc ſupplementa quaedam adiicere viſum eſt, non unius quidem generis, ſed prout res tulerit, varia. Iis igitur, quae de Bibliothecis publicis diximus, illud ſigillatim addendum videtur, ſcholis medii generis omnibus, quae Gymnaſia vulgo appellamus, non utilem tantum, ſed plane neceſſarium eſſe bonorum librorum apparatum, qui et docentium et diſcentium uſibus idoneus, et certo conſilio ſit accommodatus. Ac eos quidem, qui adoleſcentes ad humanitatem et bonas artes informaturi ſunt, ſufficientibus ad eam rem praeſidiis, omnique erudito inſtrumento, inſtructos eſſe debere, nemo, qui eam, quam oportet, formam rationemque publicae inſtitutionis animo concepit, dubitat. In linguis veteribus,

ab usu vulgi remotis, latina, graeca, ebraica, docendis, in auctoribus priscis interpretandis, recte et ordine versaturo, adiumenta eius rei multifaria non ab ingenio iudicioque solo peti possunt, quanquam his destitutus male rem geret, sed a bonorum inprimis librorum copia, quibus praestantissimi viri, summo labore pariter ac eruditione, has oras regionesque studiorum literariorum salebris, quibus alperabantur, liberarunt. Germanicae quoque linguae accuratior cognitio, quam temporum nostrorum ratio omnino desiderat, non ex nutricum et vulgi ore, sed ex limpidioribus, quos non nisi libri nobis aperiunt, fontibus hauriendа est. Historia porro et Geographia, cum reliquis suis pedisequis, nisi arctissimis earum notitiam septis circumscribere, aut quam utilitatem iucunditatemque praestare possunt, iis detrahere velimus, non ex sterilibus breuiariis a Magistris recte hauriuntur, sed lautiorem paullo supellectilem expetunt, quae praecipuis et ecclesiasticae, et literariae, et artium historiae partibus accurate expediteque cognoscendis deseruiat. Iam quid de Philosophia ac Mathesi dicam, quae nostris temporibus fere solae in pretio sunt, solae dominantur, quarum adeo expertes esse non decet, qui scholis praesunt, partim ut mentem iis perpolitam exornatamque ad omnem usum habeant, partim ut tra-

tradere adoleſcentibus eius initia quaedam poſſint, tum etiam ne perpetuum illud ab hominibus, ſola ſibi philoſophia placentibus, Paedagogorum, Grammaticorum, Literionum conuitium, ſuo inerito audire cogantur. Igitur neque aliqua huiusmodi librorum copia carere poterit Bibliotheca ſcholaſtica, niſi macilento uno alteroue et exſangui libello; quae ſeu neceſſaria, ſeu digna ſcitu, eae diſciplinae afferunt, concluſa eſſe falſo quis ſibi perſuadeat. Nihilo magis abeſſe ab ea poſſunt ii ſcriptores, qui et rationem omnem elegantiorum literarum explanarunt, et optima quaeque ad imitandum exempla nobis reliquere. Tum eorum quoque librorum, qui ad ſacram ſcripturam interpretandam, ad dogmata omnium diſſentientium in religione coetuum cognoſcenda, ad mores hominis chriſtiani formandos, ad controuerſias de rebus ſacris recte diſceptandas, cetera, pertinent, quantum ſatis eſt requirimus. Addenda his miſcellanea turba, cuius aliquis in cognoſcenda omni rerum uniuerſitate uſus eſſe poteſt, ut ſit, unde petantur non quotidie obuia, aut alioquin a vulgari notitia remotiora, cuius generis multa ſaepe occurrere ſolent iis, qui liberaliori quadam variae cognitionis cupiditate ducti, extra fundi literarii, quem inprimis colendum ſibi ſumſere, terminos, animi cauſſa interdum euagantur. Neque ſufficit, ſemel neceſ-

ceſſarios maxime libros comparaſſe; ſed ſubinde ſuccenturiandi ſunt; ſi qui noui prodeunt, in quibus rectius traduntur diſciplinae; qui nouas proponunt veritates; veteresque errores emendant. Videmus enim; ſubinde haud contemnenda incrementa capere varia doctrinarum genera; aut noua certe veſte indui veteres. Genio ſaeculi quoque obtemperandum eſt. Sic tota philoſophia aliam a xxx annis faciem nacta eſt; ſic plura ſubinde in phyſicis deteguntur: ſic in explicanda ſcript. S. S. ope veterum ſcriptorum; multa nouantur: V. g. Kypke, Krebs; Munthe. Hiſtoriae, quoque alia facies eſt. Qui his neceſſariis ſubſidiis deſtituitur, eum multa perperam; ſine ſua culpa, docere neceſſe eſt. Quod ſi factum eſſe in Academias delati forte deprehendunt adoleſcentes, contemnunt doctores ſuos. Magiſtratus igitur in culpa ſunt, ſi officio ſuo hac in re deſunt. In tanta enim ſalariorum paucitate fieri non poteſt, ut docentes ſuo aere omnia, quibus opus eſt, comparent. Eſſe vero etiam ſtudioſae adoleſcentiae cauſſa prouidendum, ne ſcholae idonea ſupellectili libraria deſtituantur; haud difficulter oſtenditur. Qui enim praeter paucos iſtos, qui in ſcholis tractari ſolent, libros nunquam oculis uſurparunt alios; quomodo illi de toto eruditionis ambitu recte ſentient? Quam etſi magiſter ipſis copioſa oratione deſer-

et

et quibus partibus ea conſtet, quid ſingulae diſcenti promittant, explicet, vix tamen erit, ut ſatis clare atque perſpicue ea omnia animo comprehendant. Quum vero boni libri, quibus omnium diſciplinarum partes traditae atque expoſitae continentur, in manus eis traduntur, ut, praeeunte magiſtro, ipſi eos inſpiciant, argumenta eorum diſcant, et guſtu quodam eorum initientur, tum fieri profecto non poterit, quin cum voluptate quadam ſuum ſibi de anguſtis rei literariae finibus errorem eripi patiantur. Neque deerunt, in quibus latentes ingenii igniculi, et ſopita quaſi naturalis diſcendi cupiditas, excitentur, ut, poſtquam iſta doctrinae comparandae praeſidia, et in iis grata forte animo ſuo pabula, cognouerunt, illis etiam utendi fruendique quodam ardore inflammentur. Experientia certe teſtis eſt, adoleſcentes deſidia, ut videbatur, corruptos, cumprimum in bonos aliquot, et congruentes ingeniis ſuis, auctores inciderant, mutato animo aſſiduam ſtudiis operam, non ſine magno ſuo emolumento, dediſſe. Subminiſtranda itaque eſt adoleſcentibus occaſio, aliquam librorum notitiam adipiſcendi, ut conſuetudinem cum iis contrahant, et eligere paullatim queant, quorum lectione inprimis delectentur pariter atque proficiant: quae res, per totum ſtudiorum, curriculum, haud contemnendam utilitatem iis praeſtabit. Alia, quae

dici hoc loco poterant; praetereo ſciens: quod, qui hisce non mouentur, iis haud facile, id quod volumus, perſuaſum iri credimus.

Accedamus iam ad alterum genus additamentorum, quod obſeruationibus quibusdam ad aliquot libros, in ſuperiori Programmate commemoratos, continetur.

De *Speculi humanae Salvationis* exemplis, ex tabulis ligneis, in quibus illud exſculpſerat, ut aiunt, a Coſtero expreſſis, latino altero, altero belgico, quae Harlemi aſſeruantur, vid. *Memoires de literature*, *Tom. I. P. II. p.* 392. *ſeqq.* De eo quod Norimbergae MStum extat, Fränckiſche Acta erudita et curioſa, *P. XV. p.* 256. De Ienenſi, *V. CL.* B. C. WIDEBVRG, in der ausführlichen Nachricht von einigen deutſchen alten poetiſchen Manuſcriptis in der Jenaiſchen Bibliothek. 1754. Noſtrum latina lingua ſcriptum eſt, quod quale ſit, ex ſpeciminibus aliquot rectiſſime cognoſcetur. Prooemii hoc eſt initium:

*Incipit Probemium cujusdam noue compilacionis*
*Cuius nomen eſt et titulus ſpeculum humane ſaluacionis.*
*Expediens videtur et utile quod primo in hoc probemio exponatur*
*De quibus materiis et hyſtoriis in quolibet capitulo dicatur.*

Et

*Et qui diligenter hoc capitulum* (forte prohemium) *perſtuduerit,*
*De facili quaſi totum librum per ſe intelligere poterit.*

*In primo capitulo agitur de caſu luciferi et ſuorum ſociorum,*
*De formacione ade et eue et de dignitate eorum.*

*In ſecundo capitulo agitur de precepti transgreſſione*
*De hominis eiectione et exilii huius prolongatione.*

* * *

*Sed notandum quod in ſingulis capitulis modus ille ſeruatur,*
*Quod de nouo teſtamento primo una veritas recitatur.*

*Poſtea de veteri teſtamento tres hyſtorie applicantur*
*Que iſtam veritatem prefiguraſſe comprobantur.*

* * *

*Qui ad iuſtitiam eruditunt multos fulgebunt quaſi ſtelle in perpetuas eternitates.*

*Hinc eſt, quod ad eruditionem multorum decreui librum compilare*
*In quo legentes poſſunt eruditionem acquirere et dare*

*In presenti autem vita nihil estimo homini utilius esse*
*Quam dominum creatorem suum ad* (f. ac) *propriam condicionem nosse*
*Hanc condicionem* (f. cognitionem) *possunt litterati habere ex scripturis*
*Rudes autem erudiri debent in libris laycorum et in picturis.*
*Qua propter* (in) *gloriam dei et pro eruditione indoctorum*
*Cum dei adiutorio decreui compilare librum laycorum.*

* * *

*Quamuis sampson cum illa meretrice peccabat*
*Tamen dominum nostrum iesum christum prefigurabat*
*Non ideo quod cum ista meretrice concumbebat*
*Sed quod media nocte surgebat et portas urbis confringebat.*

* * *

*O bone iesu doce nos dulcedinem sacre scripture considerare*
*Ut tecum merear in perpetuum habitare.*

Haec ex Prooemio. Addamus quaedam ex capitulo primo.

*Respice adam opus manuum dei et fortissimum sampsonem*
*Respice deinde virum sanctum et blandum et sapientissimum salomonem*

Si

*Si tales et tantos decepit ars mulieris*
*Quomodo tu qui non talis es et tantus a*
*muliere ſecurus eris*
*Verum adam quem dyabolus temptare*
*non audebat*
*Hunc mulier audacior diabolo defrauda-*
*re preſumebat.*
*Dyabolus itaque mulierem defraudabat*
*Mulier vero virum et omnes poſteros*
*contempnabat*
*Et ſi homo in mandato dei perſeueraſſet*
*Nunquam penam nunquam mortem ali-*
*quam guſtaſſet*
*Nullam ſuſtineret debilitatem vel laſſitu-*
*dinem*
*Nunquam ſentiret infirmitatem et egri-*
*tudinem*
*Sine gemitu et dolore et triſtitia mentis*
*portaretur*
*Sine fletu et merore et labore gravi na-*
*ſceretur*
*Non nouiſſet luctum neque aliquam tri-*
*bulationem*
*Non ſuſtineret verecundiam neque ali-*
*quam confuſionem*
*Aures eius nunquam obſtupeſcerent*
*Oculi eius nunquam caligarent*
*Et pedes eius nunquam claudicarent*
*Nec flumina nec fontes eum ſubmergerent*
*Nec ignis nec eſtus ſolis eum combuſſiſſent*
*Nulla beſtia nulla auis eum infeſtaret*
*Nullus aer nulla aura eum moleſtaret*

*Nunquam homines inter ſe lites habuiſſent*
*Tanquam fratres ſe mutuo dilexiſſent*
*Subiecta eſſet homini omnis terrena creatura*
*Semper in gaudio uiueret ſine cura*
*Et cum deo creatori ſuo placuiſſet*
*Cum corpore et anima ipſum in celo aſſumſiſſet*
*Nullus autem homo preſumat inueſtigare.*
*Cur deus hominem quem ſciebat caſurum voluit creare*
*Cur etiam ipſos angelos creare volebat*
*Quorum caſum certiſſime precognoſcebat*
*Et quare cor pharaonis voluit indurare.*
*Cor autem marie magdalene ad penitentiam mollificare etc.*
*Hec enim dei opera et his ſimilia*
*Humanis ingeniis ſunt inſcrutabilia*
*Huiusmodi queſtiones paulus breuiter ſoluere videtur*
*Quem inquit vult indurat deus et cui vult miſeretur.*

Plura fortaſſe, quam opus erat, ex hoc humanae ſaluationis ſpeculo attuli. Sed non ingrata tamen lectoribus futura ſpero, propterea quod librum a multis celebratum oculis uſurpandi opportunitas pauciſſimis dari ſolet.

*Iohannes de Tambaco, ordinis praedicatorum, provincie Teutonice ſacre Theologie Profeſſor ab impugnatoribus iuſticie pariter et*

*et obedientie ſancte romane eccleſie a proprie manſionis loco eiectus, quandam exilii ſpeciem ſuſtinens opus de conſolatione Theologiae* eſt aggreſſus. Propoſitum nempe eſt ei, contra varia genera calamitatum, quas in XV claſſes digeſſit, conſolationum, ut ipſe ait, remedia ex Scriptura S. inprimis, tum et aliis libris colligere. Id conſilium ſuum ita exſequitur, ut inducat Theologiam auguſtiori quadam virginis ſpecie, ad quam afflictus aliquis querelam de infelicitate ſua deferat: ipſa vero deinde virginibus ex comitatu ſuo praecipiat, ut conſolentur miſerum illum: eaeque ſingula ſolatii argumenta in medium afferant. Conſummauit auctor hoc opus anno MCCCLXVI. Rariſſime id occurrere aiunt harum rerum periti.

*Caeſarii, Ciſtercienſis Monachi in Heiſterbacho* (prope Bonnam) *dyalogus miraculorum.* Occaſionem hunc librum ſcribendi hanc ſibi fuiſſe narrat auctor, ſtatim ab initio: *Cum ex debito iniuncte ſolicitudinis aliqua ex his que in ordine noſtro: noſtris temporibus miraculoſe geſta ſunt et quotidie fiunt: recitarem nouiciis.* (erat ſcilicet Magiſter Nouitiorum) *rogatus ſum a quibusdam cum inſtantia multa eadem ſcripto perpetuare. Dicebant enim irrecuperabile fore damnum ſi ea perirent per obliuionem: quae poſteris eſſe poterant ad edificationem . . . acceſſit Abbatis mei imperium: nec non Abbatis loci ſancte Ma-*

*rie consilium: quibus contradicere licitum non est.* De modo et ratione operis haec addit: *Duodecim distinctionibus omne opus diuisi. Prima distinctio agit de conuersione, secunda de contritione, tertia de confessione . . . septima de beata virgine Maria, . . . nona de sacramento corporis Christi, decima de miraculis. Ut autem competentius exempla ordinarem: more dyalogi duas induxi personas nouitii videlicet interrogantis: et monachi respondentis. . . . Testis est mihi dominus nec unum capitulum quidem in hoc dyalogo me finxisse. Quod si aliqua forte aliter sunt gesta: quam a me scripta: magis his videtur imputandum esse a quibus mihi sunt relata. Et quod continentia* (argumentum) *huius dyalogi satis miraculosa est: nomen ei indatum dyalogus miraculorum.* Nugis refertus est liber nugacissimis, inprimis distinctiones *de Daemonibus, de B. Maria Virgine et de Sacramento corporis Christi*, quas magnam pietatis religionisque speciem prae se ferens narrat Caesarius, ut aut valde credulum, aut insigniter nequam hominem, et ἐν ὑπερβολῇ ψευδολόγον, fuisse necesse sit. Sed possunt tamen quaedam cognitione non indigna ex eo colligi. *Dist. I. c. 6.* ait: *Habet ordo Cisterciensis a sede sibi apostolica indultum: ut cruce signatus: vel voto cuiuslibet alterius peregrinationis obligatus: si transire voluerit ad ordinem coram deo*

et

*et facie eccleſie ſit abſolutus.* Ex *diſt. IV. c.* 49. diſcimus, ſortes biblicas Caeſarii aetate fuiſſe in uſu. Memorabile exemplum ſacrificuli occurrit *diſt. IX. c.* 56. Miſſas ille ſaepe celebrauerat, et tamen, cum audiuiſſet forte fortuna, verum corpus domini, quod natum eſt de virgine, paſſum in cruce, communicantibus exhiberi, haereticumque eſſe, qui aliter crederet, eiulans pectusque tundens exclamauit, dicens: *Vae mihi miſero ſacerdoti, quomodo hactenus miſſas celebraui: nam usque ad hanc horam putabam ſpeciem panis et vini poſt conſecrationem eſſe tantum ſacramentum id eſt ſignum et repreſentationem dominici corporis et ſanguinis.* Multi ſine dubio iis temporibus et inter clericos et inter laicos fuerunt, qui transſubſtantiationis dogma aut non intelligerent, aut omnino improbarent, neque aliam ob cauſſam tot circa hoſtias conſecratas miracula accidiſſe fingebant aſtutiores, quam ut ſimpliciori-bus id eo facilius perſuaderent. Abſoluit *Caeſarius* librum ſuum 1222.

*Hugonis de S. Victore didaſcalon de ſtudio legendi*, ſexque priores eius libros adeundos eſſe ei, qui ſtatum formamque liberalium artium hoc aeuo, obiit autem anno CIↃCXXXXI, rationemque eas tractandi intelligere cupiat, iudicauit iam dudum illuſtris *Moshemius in hiſtoriae eccleſiaſticae Noui Teſtamenti inſtitutionibus* CIↃIↃCCXXVI editis

*editis p.* 568. Noſtra loquendi conſuetudine diceres methodum ſtudiorum. Agit enim de natura et partitione diſciplinarum, ratione item et ſubſidiis in iis recte verſandi. Librum Siracidae, librum Iudith et Tobiae, libros item Maccabaeorum, dicit *legi quidem, ſed non ſcribi in canone, Lib. IV. c.* 2. quod repetit *c.* 8. *legi eos quidem ab eccleſia, ſed inter canonicas ſcripturas non recipi. P.* CCXI. *b.* ait, *Chriſtum carnem ſuam in cibum nobis propoſuiſſe, et ne humana infirmitas hanc ſumtionem horreret, conſueti edulii ſpecie eam velaſſe.* *) *P.* CXCVII. *b.* ita loquitur de unione corporis et ſpiritus, ut videatur quodammodo ad eos accedere, qui animam craſſiori ſolutam, ſubtili quodam corpore conueſtiunt. Ceterum etſi ſatis apparet, *Hugonem* ultra ſaeculi ſui ſortem fuiſſe doctum, graecae tamen linguae ſe penitus fuiſſe expertem multis prodit indiciis. Facile id mihi accrediturum lectorem, hiſtoriae eius temporis peritum, opinor; ſed tamen non erit iniucundum, unum alterumue eius rei ſpecimen attuliſſe. *Matheſis*, ait, *quando* ϑ *habet ſine aſpiratione, interpretatur vanitas et ſignificat ſuperſtitionem illorum, qui fata hominum in conſtellationibus ponunt.*

*) Similia leguntur in ὀρθοδόξῳ ὁμολογίᾳ &c. *p.* 177. *edit. Hofmann.* prouocatque *Mogilas*, auctor eius, ad *Gregor. Nyſſen. et Damaſcenum.*

*punt. Quando autem t habet aſpiratum, doctrinam ſonat.* *) *Lib. IV. 4.* Alibi: *Scriptum legitur in tripode Apollinis, noticelicon, id eſt, noſce te ipſum. L. I. c. 2. Liber Strategomaton* †, *id eſt, militaris ſuauitatis, L. III. c. 2.* Pro latino *Auctor*, conſtanter ſcribit *Actor*, in quo pronunciationem ſuae aetatis vel gentis ſecutus videri poteſt. Noſtratium etiam quidam Aug, auch, Lauge, Lauch, efferunt, quaſi ſcriptum eſſet Aag, aach, Laage, Laach. Idem ſonat Anglorum *au*.

*Summa, que vocatur Catholicon edita a fratre Iohanne de Ianua ordinis fratrum predicatorum.* Abſoluta eſt 1286. Totum opus tributum eſt in quinque partes. I. agit de orthographia, id eſt, de litera **, ſyllaba,

*) Iohannes de Ianua in Catholico: *Mateſis. matho grece latine diſco. vel doceo. Unde hec matheſis penultima producta. et ſine aſpiratione. i. diuinatio. unde mathematicus, ca. cum. i. diuinator. Iuuenalis. nemo matematicus genium indemnatus habebit. Item a matho deriuatur hec matheſis pen. cor. et aſpirata. i doctrina ſeu quadriuium. unde verſus. Scire facit matheſis, ſed diuinare matheſis.* Notionem aduerbii μάτην affricuiſſe videntur vocabulo matheſeos: vel inaudiuiſſe aliquid de verbo ματάω.

† Quaſi eſſet ex στρατὸς et τραγήματα.

**) Rationem redditurus cur pro ae et oe e ſimplex ſcribat, *p. 2. col. 2. Et ſcias*, inquit, *quod iſte aue dyptongi ſeu ae et oe in communi ſermone non profe-*

laba, mutatione literarum et II. de accentu, i. e. Prosodia. III. de Ethimologia et diasyntastica quasi mixtim, i. e. de Etymologia et Syntaxi. IV. de vitiis et figuris. Vitiorum nomine intelligit *acirologiam cacephaton vel cacophoniam*, *Pleonasmum*. Rectius ἀκυρολογίαν, κακέφατον vel κακοφωνίαν. Figuras intelligit rhetoricas. Hae quatuor partes sextam circiter voluminis satis grandis partem conficiunt. P. V. agit de orthographia, prosodia, significatione origine et ethimologia quarundam dictionum, que frequenter inueniuntur in biblia et in dictis sanctorum et poetarum. Id est, Lexicon est ordine alphabetico dispositum, de quo ordine ita loquitur *Iohannes*, ut se primum eius fuisse inuentorem significet. Ait enim: *Hunc ordinem cum magno labore et ardenti studio inueni, non tamen ego sed gratia dei mecum.* Si primum se fuisse putauit, qui voces ordine literarum collocauerit, vehementer fallitur. Sin id dicere voluit, eas voces quas in Catholico suo explicat, ante se neminem ea ratione disposuisse, minus ambigue loqui debuisse videtur. *Mantuanus in Apologetico suo* de ineruditis suae aetatis Monachis, *suum*, inquit, *proferuntur. ita et in hoc libro fere nusquam scribuntur.* Non igitur negligentia quadam, sed orthographiae ad pronunciationem conformandae studio eum Barbarismum admittebant. conf. *Vossius de arte gram. p.* 174. *seqq.*

quit, *quoddam Catholicon venerantur, quod pluribus erratis, quam pardus maculis aſperſum eſt.* Et *Eraſmus in Antibarbarorum libro: Eſt qui omnium errorum ſylvam Catholicon auſus eſt appellare*: quod iudicium ſingulae paginae exemplo non uno confirmant. De raritate libri vid. *Ioh. Vogt in Catalogo hiſtorico - critico librorum rariorum*, qui 100 Talerorum pretium primae eius editioni, quam Moguntiae 1460. prodiiſſe putat, ſtatui in Bibliotheca Uffenbachiana teſtatur. In noſtra nullum nec loci, nec anni, nec typographi, indicium. *S. R. Schelhornius in Amoenit. lit. T. V. p.* 29. *Lenglet du Freſnoy in tabulis chronol. hiſt. uniuerſ. P. II. p.* 365. *edit. Hal. germ.* Nouiſſime de eo egiſſe accepimus *V. Cl. Ioh. Richey, in append. IV. Idiot. Hamb. edit. II.* De hoc Catholico ſingulare Progr. edit. Heilbr. 1772. Ioh. Rud. Schlegel, G. R. in quo XXVI. eius editiones indicantur.

Plura huius generis addere chartae anguſtia prohibet. Itaque tertio loco breuiter commemorabimus praecipuos libros, quibus inde a triginta circiter annis aucta eſt ſupellex noſtra libraria, ſed ita, ut ſaepe opportunitas potius emendi, qui ſe offerrent, ſequenda, quam idoneus ad αὐτάρκειαν delectus inſtituendus eſſet. Sunt igitur iſti: *Cornelii a Lapide* Commentarii in uniuerſam ſcripturam ſacram, exceptis Pſalmis

mis et libro Iobi. *Matth. Poli* Synopſis criticorum. De quibus videndi *I. F. Meyerus* in Bibliotheca biblica, et *I. F. Buddeus* in Iſagoge. *Starckii* Synopſis bibliothecae exegeticae. *Clericus* in Pentateuchum et libros hiſtoricos V. T. *Abarbanel* in prophetas priores et poſteriores. *R. Salomo Iarchi* in V. T. latine a Breithauptio editus. Ialkut Rubeni haggadol. Sepher Hammaggid. Michlal Iophi. *Vitringa* in Ieſaiam. *Capelli* Critica ſacra. *Dieterici* Antiquitates biblicae. *Lundii* Jüdiſche Heiligthümer. *Schneideri* Lexicon biblicum. *Langii* Gloria Chriſti. *Limborchii* theologia chriſtiana. *Ianſenii* Auguſtinus rediuiuus. *Riueti* opera. *Chamierus* contractus. *Dallaei* pluſcula. *Phil. Guadagnoli* Apologia pro chriſtiana religione. *Ge. Dounamus* de Antichriſto. *Valckenier* Roma paganizans. *Voetii* diſputationes ſelectae. Eiusd. Politica eccleſiaſtica. *Huetii* demonſtratio evangelica. Corpus Hiſtoriae francicae, M. F. *Thuani* Hiſtoriarum ſui temporis, cum continuatione. fol. Voll. VI. Tria priora edita ſunt Pariſiis ab *Ambroſio et Hier. Druart*, 1606. 1609. quam optimam et ſimul raram cenſeri tradit *Io. Hubnerus in Bibl. Hiſtor. Hamb. Cent. II. p.* 14. *Lotichii* rerum germanicarum libri, Voll. II. *Fuggeri* Spiegel der Ehren des Hauſes Oeſterreich. Kantemirs Geſchichte des Ottomanniſchen Reichs. *Mornayi* Myſte-

Mysterium iniquitatis. *Sguropuli* Historia Concilii Florentini, gr. lat. *Hottingeri* Historia ecclesiastica. *Heinsii* Historia ecclesiastica in 4to. *Binghami* Antiquitates ecclesiasticae. *Bruckeri* Historia critica philosophiae. *Cellarii* notitia orbis antiqui. *Relandi* Palaestina. *Guilielmi Caue* Scriptorum ecclesiasticorum historia literaria. *Casim. Oudini* de scriptoribus ecclesiasticis commentarius. *Iöcheri* Allgemeines Gelehrten Lexicon. *Iablonski* Lexicon der Wissenschaften. *Ferretii* Musae lapidariae. *Ciceronis* epistolae familiares cum Commentariis *Manutii. Liuius I. F. Gronouii. Ammianus Marcellinus Valesii.* fol. *Clementis Alexandrini* opera gr. *Iustini Martyris* quae extant, gr. lat. *Theodoreti* graecarum affectionum curatio, gr. lat. ex editione *Sylburgii et officina Commel. Tertullianus Pamelii. Origenes* von der Wahrheit der christlichen Religion. *Vossius* de Idololatria, Institutiones Rhetoricae, et de viis sermonis. *Hottingeri* Smegma orientale; Historia orientalis, Bibliotheca orientalis. Liber *Cosri. R. Lipman Nizzachon, etc.*

Immortales gratiae habendae agendaeque sunt viris generosis et magnificis, quorum propensa in literarum studia voluntate factum est, ut intermissa diu, propter calamitosa reip. tempora, Bibliothecae nostrae augendae ornandaeque cura reuiuiscer-

ret,

ret, ac multa et praeclara volumina comparentur, quae docentibus pariter atque discentibus usui, reip. ornamento esse possunt. Illud iam porro, si fas est, summisse petimus atque contendimus, quin et fore speramus, ut quae deesse in tam vario disciplinarum genere videntur pluscula, eadem liberalitate paullatim subministrentur, ac polliceri audemus eam impensam non sine fructu atque emolumento futuram. Aliud curae bonis literis ab amplissimo Scholarcharum ordine tributae vidimus per hosce dies, in lustratione curiarum Gymnasii nostri, qua feliciter absoluta, orationes publice, in Auditorio noto, recitabuntur. Ac VIR quidem EXCELLENTISSIMVS IOHANNES LVDOVICVS PVRCKHAVERVS, ECCLESIARVM ROTENBVRGENSIVM SVPERINTENDENS dicet *de subsidiis quibusdam ad diligentiam in iuuentute studiosa excitandam.* Tum *nos contra Historiae veteris contemtores breuiter disputabimus.* Denique IOHANNES MICHAEL MEICHSNERVS, qui mores et studia sua nobis satis probauit, *quam utile sit, fata literarum et eruditionis nosse*, quod dicendi argumentum ipse sibi sumsit, breuiter pro ingenii modulo ostendere conabitur. Cui scholasticae solennitati ut Generosi et Magnifici Reipubl. Consules, Praenobilissimi amplissimique Senatores, ceterique omnium ordinum viri literati,

rati, literisque fauentes, suis quique meritis et titulis condecoratissimi, humaniter interesse, breuemque dicentibus audientiam praestare velint, ea, qua par est, submissione, obseruantia atque humanitate rogamus et obsecramus.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, a. d. X. April. CIↃ IↃCC LV.

## XXXI.

## De Bibliotheca Rotenburgensi.

Semel iterumque de libraria suppellectile, quae adseruatur in Sacello D *Michaeli* sacro, hac anniuersaria scriptionis opportunitate usus, quae non inutilia cognitu iudicabam exposui. Primum quidem ante hos triginta tres annos, quo tempore qualem eam inueneram descripsi. Deinde anno CIↃIↃCCLV, quum benigna Illustrium reip. Praesidum prouidentia, interuallo viginti septem annorum, haud contemnenda incrementa cepisset, ea ut nota fierent nostris operam dedimus. Iam quum ex eo tempore, partim cura praedicatione dignissima, partim eximia liberalitate, praestantium Virorum, quos, nisi modestia illorum intercederet, nominatim laudarem, noua

ei acceſſio facta ſit, eaque ſatis magna, ut neque hanc ignorent, ſi qui forte ſunt rei librariae apud nos ſtudioſi, curandum exiſtimaui. Eius acceſſionis pars altera conſtat libris iuſtae magnitudinis, quos, non quidem omnes; ſed maxime memorabiles eorum recenſebimus. Sunt igitur iſti: *Euclidis Megarenſis — opera a Campano translata. Lucas Paciolus emendauit, figuris et commentariolis illuſtrauit, etc. Venetiis*, 1509. *fol.* Falſo *Euclides Megarenſis* perhibetur, is enim alius et antiquior erat mathematico. Eodem volumine continetur *Conr. Vlmeri liber de Horologiis ſciotericis*, et alia. *Pedanii Dioſcoridis de Medicinali materia libri ſex; Johanne Ruellio Interprete, cum picturis ſtirpium, et ſcholiis Gualth. H. Ryff et Io. Loniceri. Francof.* 1543. *fol.* Volumen quo coniunguntur *Fl. Vegetius de re militari. Sex. Jul. Frontinus de ſtrategematis. Modeſtus de vocabulis rei militaris.* Item *picturae bellicae CXX Vegetio adiectae. Lutetiae apud Chriſtianum Wechelum.* Figurae von veteres tantum, ſed nouas etiam machinas repraeſentant. *Roberti Valturii ad illuſtrem heroa Sigismundum Pandulphum Malateſtam, Ariminenſium Regem, de re militari libri XII, cum picturis, Pariſiis apud C. Wechelum. l. d. XXXII.* Non iniucundum erit, opinor, locum aliquem ex praefatione hic recognoſcere. „*Phor-*

„*mio-*

„ *mionis*, inquit, peripateticae ſectae phi-
„ loſophi, et *Sergii Galbae*, perſimilem
„ me dicent -- cum nitida ego, ut illi, cu-
„ te, et corpore propter umbram molli;
„ nullo unquam vulnere admiſſo, de re mi-
„ litari, de fortitudine et ignauia ducum,
„ de inſtruenda acie, de loco caſtris ca-
„ piendis idoneo, multisque id genus,
„ verba facturus ſim, ad eum maxime du-
„ cem, qui et caſtris nutritus ſit, et exer-
„ citus maximos duxerit ſemper inuictus.„
In prioribus IV. libris totus in eo eſt *Val-turius*, ut omnibus diſciplinis eruditum debere eſſe militem demonſtret. *L. Florus de geſtis Romanorum libri IV cum adnotationibus Jo. Camertis. Sexti Rufi de hiſtoria romana epitome. Meſſalae Corvini de progenie Auguſti libellus. Baſileae*, 1532.

*Franc. Philelphi Epiſtolarum familiarium libri XXXVII. Venetiis*, 1502. *fol.* Scriptae ſunt ab anno 1427. ad annum 1473. frigidae et inanes, ut *Morhofio* viſum: ſed mitius de iis iudicat *Schurtzfleiſchius*. *Ovidii epiſtolae heroides, cum commentariis Anton. Volſci et Ubertini Clerici Creſcentinatis*, ſine mentione anni, loci et typographi.

*Gregorii Reiſch* (erat is a Confeſſionibus ſacris *Maximiliani I.* Imperatoris) Aepitoma omnis Phyloſophiae, alias Margarita phyloſophica, in 4. liber memorabilis, ex quo, quae eo tempore liberalium artium

et philoſophiae fuerit facies, uno quaſi obtutu perſpici poteſt. Habet etiam rudimenta quaedam Grammaticae hebraeae, quae ipſis *Reichlinianis* videntur antiquiora.

*Ludovici Caelii Rhodigini Lectionum antiquarum libri XVI. Baſileae*, 1517. *fol.*

*Jo. Ludovici Viuis opera* (praeter Commentarios in Auguſtinum de Ciuitate Dei) *in duos diſtincta tomos. Baſileae*, 1555. cuius aureolos de cauſis corruptarum artium, et de tradendis diſciplinis libros, hodie quoque non ſine fructu legi poſſe, viri eruditi iudicant.

*Joh. Bapt. Montani*, in quem *Galeni* animam transuolaſſe dicebant, *Medicina uniuerſa*, *Francof.* 1587. *fol.* vid. *Conringii Introd. in Medic. Theophr. Paracelſi* ſcripta pluſcula.

*Frid. Müller Lexicon medico-galeno-chymico-pharmaceuticum. Francof.* 1661. *fol.* *D. Jo. Schroederi Medecin Chymiſche Apotheke Nürnb.* 1686. *in* 4. *Jo. Chriſtoph. Bitterkraut, Phil. et Med. Doct. Wehmüthige Klagthränen der löblichen höchſtbetrangten Arzneykunſt, etc.* 1677. *in* 4. *Noribergae*, niſi fallor. In quo libro auctor non indoctus fraudes et impoſturas Medicaſtrorum, qui, quam nunquam didicere artem, impudenter factitant, Vroſcopias item vanitatem, et ſimilia, viuis coloribus depingit. *Antonii de Guevarra - Biſchoffens zu Mondonedo, Kayſer Carls des V. Hof-*

*Hofpredigers und Chroniſten, Güldene Send-ſchreiben. 3. Theile. München*, 1615. *in* 4. *Aegid. Albertinus* ex lingua hiſpanica in germanicam conuertit, parum fidus interpres. Multum haec verſio diſtat ab editione Hiſpanica Epiſtolarum familiarium *Guevarrae*, quae prodiit *Antvverpiae*, 1603. *in* 8. Huius auctoris ſcripta multos olim lectores habebant, hodie non item. *Petri Albini Neuve Meyſniſche Chronica*, *Wittenb.* 1558.

Huc referimus etiam Volumina circiter XXX. Miſcellaneorum, quae varios libros lingua Germanica conſcriptos complectuntur, theologici potiſſimum argumenti, in quibus ſunt quae cum fructu legi poſſent, niſi dicendi genus, obſoletum fere, lectoribus plerisque moleſtum eſſet.

Pars altera inſignis, quod ſuperiori anno cepit Bibliotheca noſtra, incrementi, conſtat CL. voluminibus diſputationum theologicarum, philologicarum, philoſophicarum, quae ipſa varietate argumentorum, quae in iis tractantur, vel obiter eas inſpicientes delectant. Harum auctores aliquot praecipuos ita commemorabimus, ut qui in eadem Academia vixerunt, coniungamus. Ex *Altorfina* igitur Academia nominamus, *Jac. Schopperum*, *Ge. Ritterum*, *Dan. Schvventerum*, *Chriſt. Matthiam*, *Seb. Snellium*, *Chriſt. Molitorem*, *Theod. Hackſpanium*, *Matth. Königium*, *Jo. Weinmann-*

*mannum, Christ. Althoferum, C. Crinesium, Ph. Caroli, F. C. Durrium, M. D. Omeisium, Dan. Guil. Mollerum, Paulum Felwingerum.*

Ex *Argentoratensi* occurrunt: *Jo. Pappus, Oseas Schadaeus, M. Berneggerus, Isaac Froereisen, Johannes et Seb. Schmidii, Johannes et Isaacus Faustii, Jac. Schallerus, Balth. Scheidius, Joh. Conr. Dannhawerus, Jo. Ge. Dorscheus, Balth. Bebelius.*

Ex *Gissensi*: *Jo. Winckelmann, Jo. Gisenius.*

Ex *Gryphiswaldensi*: *B. Rhawv, Maevius Volschovius, Je. Beringius, Abrah. Battus*

Ex *Helmestadiensi*: *Pe. Musaeus, Georgius et Frid. Vlricus Calixti, Jo. Horneius, Joach. Hildebrand, G. T. Meierus, Christoph. Schraderus, Gerh. Titius, Jo. Strubius, Jo. Saubertus, Henr. Vffelmann, Herm. Conringius, Heinr. Rixnerus, Casp. Pfaffradius, Balth. Cellarius.*

Ex *Jenensi*: *Pe. Piscator, Wolfg. Heiderus, Alb. Grauerus, Jo Himmelius, Johannes et J. Ernestus Gerhardi, Jo. Tob. Maior, Christi. Chemnitius, Jo. Frischmuth, Jo. Musaeus, Jo. Andr. Bosius, Jo. Guil Baierus, Fridem. Bechmann, Seb. Niemann, Casp. Sagittarius.*

Ex *Kilonienſi*: *Christian. Kortholt.*

Ex

Ex *Lipsiensi*: *Jo. Winter*, *Anan. Weberus*, *A. G. Hesbusius*, *Heinr. Höpffnerus*, *Jo. Höpnerus*, *Thom. Stegerus*, *Otto Menckenius*, *Val. Friderici*, *Jac. Thomasius*, *Henr. Kromayerus*, *J. A. Scherzerus*.

Ex *Regiomontana*: *Ge. Mylius*, *Jo. Behm*, *Casp. Movius*, *Melch. Zeidlerus*.

Ex *Rostochiensi*: *Jo. Affelmann*, *Mich. Cobabus*, *Jo. Kleinius*, *A. D. Habichhorst*; *Heinr. Mullerus*, *Joach. Krakeviz*, *Jo. Cothmannus*, *Val. Legdaeus*, *Eilh. Lubinus*, *Dan. Lobechius*, *Ge. Rostius*, *Jo. et Paulus Tarnovii*, *Jo. Quistorpius*, *Jo. Simonius*, *Aug. Varenius*, *Sev. Walth. Slutcrus*, *Luc. Backmeister*, *Heinr. Schuckmann*.

Ex *Tubingensi*: *Lucas et Jo. Ad. Osiandri*, *Jac. Andreae*, *Jac. Heerbrand*, *Steph. Gerlach*, *Theod. Schnepfius*, *Jac. Reibing*, *Melch Nicolai*, *Wilh. Holderus*, *Theodorus Thummius*, *Ulricus Pregitzer*, *Christoph. Caldenbach*, *Jo. Wolfg. Heinold*, *Jo. Graft*, *Ge. Heinr. Keller*, *Mich. Muller*, *Tob. Wagner*, *Christoph. Wölflin*, *Balth. Raithius*, *Jo. Wolfg. Jäger*.

Ex *Wittenbergensi*: *Frid. Balduinus*, *Aegid. Hunnius*, *L. Hutterus*, *Jo. Forsterus*, *Jac. Wellerus*, *Jac. Martini*, *Wolfg. Franzius*, *Sal. Gesnerus*, *Jo. Scharfius*, *Balth. et Jo. Meisneri*, *Wilhelmus Lyserus*, *Abr. Calovius*, *Jo. Dutschmann*, *Paulus Röberus*, *Andr. Kunad*, *Jo. Reinhard*,

*hard*, *Andr. Sennert*, *Aug. Pfeifferus*, *Balth. Stolberg*, *Ge. Casp. Kirchmaier*, *Conr. Sam. Schurzfleisch*, *Jo. Quenstedt*, *Jo. Frid. Mayerus*.

Multo plures poteramus afferre. Sed merito veremur, ne confusa et sterili tot nominum recensione, vel sic plus satis molesti fuerimus lectoribus nostris.

Jam, quum sint hi, de quibus agimus, libri libellique partim saeculo XVI, plerique XVII editi, neque nouitate sua se commendabunt, neque iis placebunt, qui non nisi nostrae aetatis scripta legere soliti, quaecunque vetustatem sapere, atque ab ingeniorum hodie florentium cogitandi dicendique ratione recedere deprehendunt, nauseabundi auersantur atque abiiciunt. Qui autem neque superioris aeui eruditos peponem pro corde habuisse, studio vero lectionisque varietate multum nos superasse, non ignorant, et antiqua multa nouo habitu in scenam saepe produci, veteresque fabulas mutatis nominibus agi perpendunt, ii, si vel maxime otium aut stomachus eorum non ferat, ut iis legendis aliquantum temporis tribuant, a contemnendis tamen maiorum nostrorum monumentis, irridendisque iis, qui suum illis pretium statuunt, libenter abstinebunt. Si quis vero variae doctrinae, aut historiae literariae dulcedine captus, omne genus scriptorum euoluendum sibi per otium putat, is, quacunque

que incognitorum ſibi antea librorum oblata copia nouam ſibi meſſem paratam putabit, atque in iis etiam, qui parum frugiferi videntur, inueniet, quod in horreum ſuum comportet. Neque enim, ut vetus verbum habet, ullus eſt liber tam malus, ex quo non diſcere aliquid boni liceat, non iis quidem, qui aut in primis literarum elementis verſantur, ac formam rationemque certam diſciplinarum nondum animo conceperunt, aut, propter mentis imbecillitatem atque anguſtiam, cognitioni rerum ampliori comparandae non ſunt pares; ſed his tamen, qui vaſto capacique animo haud poenitendos in literis progreſſus fecerunt, quid diſtent aera lupinis ſapienter iudicare, et ſingula in loculos ſuos referre, apteque cum ceteris coniungere, et in unum quaſi corpus redigere norunt. GODOFR. GVIL. LEIBNITIVM, aeternum illud Germaniae decus, in quo non minor iudicii, quam memoriae vis inerat, omnis generis, in quos forte incidebat libros, bonos, malos, paradoxologos inprimis, perluſtrare conſueuiſſe, eaque ratione vaſtiſſimae eruditionis ſuae opes vehementer amplificaſſe, qui de vita eius ac ſtudiorum ratione expoſuerunt tradunt. Eandem viam *Pe.* quoque *Baelium* ingreſſum eſſe, dictionarium eius hiſtorico criticum voluentibus apparere poteſt. Vterque libellis illis, qui in Germaniae inprimis Academiis, diſputa-

tionum nomine, magno numero eduntur, delectabatur, et *Leibnitianae* Bibliothecae magna pars iis constabat: *Baelius* vero locorum communium vicem sustinere eas dicebat, ex quibus multa, quae usui essent, sine multo inquirendi labore depromere liceret. Multos alios laudare possem, quos vastae promiscuaeque lectionis non poenituerit. Sed celeberrimos hosce duumuiros ea potissimum de caussa allegaui, quod exemplo suo testantur omnino fieri posse, ut quis multam variis librorum generibus perlustrandis operam det, amplissimamque rerum notitiam sibi comparet, nec tamen ingenio, et recte acuteque iudicandi facultate, minus propterea polleat. Ceterum multo pauciores esse huius generis eruditos, quam reliquae turbae, non inficior: idem tamen ego contendo, plures futuros, si aut opportunum, aut volupe esset iis, qui naturam in tribuendis ingenii dotibus fautricem experti sunt, ei rei operam dare. Sed in viam redeundum. Jam paucis ostendere conabor, quid utilitatis ex libellis illis academicis, seu disputationibus, quae recens illatae sunt Bibliothecae nostrae, Historiae literariae cultor capere queat. Ac primum quidem magnam partem virorum eruditorum, qui in omnibus propemodum Germaniae, qua Lutheranam formulam sequitur, Vniuersitatibus, superiori potissimum saeculo vixerunt, ex iis cognosci posse,

ſe, indiculus eorum, quem modo dabamus, demonſtrat. Eſt profecto iucundum ſcire, quibus doctoribus atque magiſtris illud nuper debuerit Eccleſia, ut doctrina ſalutaris, bonaeque artes, propagarentur, et ab aduerſariorum inſultibus defenderentur. Non contentus nomina non ignorare clarorum virorum, poterit lecto uno alteroue ſpecimine, et ſunt in quibus conſcribendis omnem ingenii conatum effudiſſe videantur auctores, animi ingeniique eorum formam, eruditionis amplitudinem, docendi ſcribendique rationem, inſpicere; poterit item diſcere, quaenam ſtudiorum literariorum partes in ſingulis Academiis prae ceteris floruerint, quae controuerſiae agitatae fuerint, quae ſtudioſae iuuentutis exercitamenta viguerint. Et quemadmodum, noſtra tempora cum ſuperioribus comparando, haec ab iſtis in multis vinci deprehendet: ſic ſuperiora quoque habere videbit, quibus ſuperbiant, et noſtris multum excellant; in quibus adeo iſta potius, quam haec noſtra ſint imitanda. Quanquam autem multum utilitatis ex iis, quae ſuperiori ſaeculo, a viris eruditione praeſtantibus, ſcripta ſunt, percipi poſſe ſerio defendamus: lubenter tamen fatemur, quod negare imperiti et omnium, quae hodie in orbe erudito geruntur, ignari foret, in libris, quibus decora noſtrae aetatis ingenia omnes propemodum doctrinae partes luculenter expo-

expoſuerunt, majorique lumine colluſtratas, ſolidisque argumentis munitas, ad animi cultum, vitaeque uſum, ut aptae et idoneae eſſent, effecerunt, infinita occurrere, quae ignorare hominem, qui literarum ſe ſtudioſum profitetur, nefas propemodum fuerit.

Quam ob cauſſam hanc Bibliothecae noſtrae fortunam precamur, ut non vetuſtis ſolum libris, forte fortuna, aut liberalitate fauentium literis hominum, oblatis; ſed et certo conſilio, iuſtoque delectu, comparatis augeatur, quibus tanquam habili inſtrumento uti literarum cupidi poſſint: quo deſtituti non meliore conditione ſunt, quam faber aliquis, in vacua omni artis ſuppellectili officina. Sed nolo inanibus votis implere chartam, id agam potius, cuius cauſſa haec ſcriptiuncula edenda fuit. Exploratis nimirum conſueto examine adoleſcentiae ſtudioſae profectibus, quae Orationes ex more publice habebuntur, indicandae ſunt. VIR igitur SVMME VENERABILIS IOH. LVDOVICVS PÜRCKHAVERVS, ECCLESIARVM ROTENBVRGICARVM SVPERINTENDENS etc. *Num moribundus petitione quarta orationis dominicae uti, vel eam immutare poſſit?* diſquiret.

Nos autem *argumentum olim coeptum perſecuturi, libros aliquot de docendi diſcendique ratione agentes*, recenſebimus. Tandem IOH. BERNH. PHIL. KRAVSIVS, Reip. Alumnus,

Alumnus, idoneo ad literas discendas ingenio praeditus, *de accurata temporis ratione ab iis, qui studiis operam dant, habenda*, breuiter differet. Cui solennitati scholasticae, ut Consules Reip. Illustres et Magnifici, Senatores Amplissimi, et reliqui omnium ordinum eruditi, suis quisque meritis, honoribus, titulisque condecoratissimi, frequentes interesse, beneuolentiaque sua subdere stimulos docentibus pariter atque discentibus dignentur, summopere petimus atque contendimus.

P. P. Rotenburgi ad Tubarim, ad d. II. April.
CIↃ IↃCC LXI.

## XXXII.

## Notitia quatuor Speculorum Vincentii Bellouacensis.

Quod superioribus annis facere institui, ut librorum quorundam, qui in Bibliotheca nostra publica reperiuntur, memorabilium notitiam impertirem historiae literariae non incuriosis, id nunc inceptum persequens, de fratris VINCENTII, Bellouacensis, Ord. Praedic. quatuor speculis dicturus sum. Non autem aliunde, quam ex

ex iis ipſis, quae digna cognitu exiſtimauero, depromam, ipſis plerumque auctoris verbis, ſiue paullulum inflexis, ſiue nihil immutatis, uſurus, ut eo plenior dicendis fides conſtare poſſit. Fuit VINCENTIVS eorum, qui ſaeculum a Chriſto nato decimum tertium ſcriptis illuſtrarunt, haud poſtremus, quod ſaepe manu deſcripta, ſaepe deinde typis excauſa, eius Specula ſatis docere poſſunt. Epiſcopum vero Bellouacenſem fuiſſe, quod G. I. VOSSIVS putauit, non apparet; ſaltem, cum prologum Speculis praemiſſum ſcriberet, nondum ea dignitate ornatum fuiſſe; eſt longe certiſſimum. Alicubi enim de paupertate ſua queritur; alibi ſuperiorum iuſſu ſe ſcripſiſſe dicit, aliisque interdum ſtudiis per obedientiam fuiſſe occupatum; item, Priore ſuo *in remiſſionem peccatorum* ſibi iniungente, totum opus ſuum abbreuiando in librum manualem redigere voluiſſe, quae ſingula in Epiſcopi dignitatem cadere non videntur. Is igitur frater VINCENTIVS ſcripſit opus uniuerſale, totam Encyclopaediam complexum, quod ſpeculum maius, ad differentiam parui libelli dudum a ſe editi, cui titulus erat, Speculum, vel imago mundi, appellare decreuerat, „ ideo quod „ quidquid fere *ſpeculatione*, id eſt, admi„ratione, vel imitatione dignum eſt ex his, „ quae in mundo viſibili et inuiſibili, ab „ initio usque ad finem facta vel dicta ſunt, ſiue

„ſiue etiam adhuc futura ſunt, ex innu-
„merabilibus fere libris colligere potuit,
„in uno hoc breuiter continentur.„ Sed cum ad tantae magnitudinis immenſitatem excreuiſſet, ut ſine labore, vel ſumtu, nimio transſcribi non poſſet, ipſum opus uniuerſum in quatuor partes principales, tanquam in quatuor volumina perfecta, et a ſe inuicem ſeparata, diſtinxit, quae ipſa etiam Speculorum titulo inſcripſit. Cauſſam ſuſcepti a ſe tanti operis ſuis ipſum verbis declarantem audiamus. „Mihi omnium
„fratrum minimo, plurimorum libros aſſi-
„due reuoluenti, ac longo tempore ſtu-
„dioſe legenti, viſum eſt tandem (acce-
„dente etiam maiorum meorum conſilio)
„quosdam flores, pro modulo ingenii mei,
„electos ex omnibus fere, quos legere po-
„tui, in unum corpus voluminis, quo-
„dam compendio, ſummatim redigere —
„ut et ſtudio meo quaſi modum quendam
„imponens, curioſitati meae, ceterorumque
„nonnullorum forſitan mei ſimilium, quo-
„rum ſtudium et labor eſt plurimos legere,
„eorumque flores excerpere, per hoc unum
„grande opus utcunque ſatisfacerem, et la-
„boris mei fructum poſcentibus non nega-
„rem. — Videbam praeterea, iuxta Da-
„nielis Prophetiam, temporibus noſtris non
„tantummodo *ſecularium literarum*, ve-
„rum etiam *diuinarum ſcripturarum, ubi-*
„*que multiplicatam eſſe ſcientiam*, omnes-

„que,

„que, praecipuè fratres noſtros, aſſidue „ſacrorum librorum hiſtoricis ac myſticis „expoſitionibus, inſuper et obſcurioribus „quaeſtionibus enodandis, inſiſtere, inter „haec autem hiſtorias eccleſiaſticas, qua„rum lacte paſcebatur antiquorum ſimpli„citas, quodammodo viluiſſe, et in negle„ctum veniſſe, plurimosque fratrum no„ſtrorum huiuſcemodi rerum ignaros eſſe: „itaque ipſas etiam, ſicut et cetera, ex di„uerſis auctoribus diligenter excerpenda „collegi, atque in certum ordinem tempo„rum cuncta redegi „ Eſt hic locus VINCENTII inprimis animaduerſione dignus, quod, qui eo, quo vixit, ſaeculo fuerit rei literariae ſtatus ex eo cognoſci ex aliqua parte poteſt. Apparet inter alia, duplex tum fuiſſe Theologorum genus: alterum eorum, qui Scripturae S. tractandae operam ſuam addicerent, alterum Scholaſticorum. Hos enim ſine dubio intelligit VINCENTIVS, cum quosdam obſcurioribus quaeſtionibus enodandis inſiſtere dicit. Illud quoque ex locis allatis perſpicuum eſt, qua ratione in vaſto hoc opere, quod tantam rerum multitudinem varietatemque amplectitur, concinnando verſatus fuerit. Scilicet non ex diuite ingenii ſui penu, crebra meditatione ſubacta protuliſſe, ſed ex multis aliorum libris multo labore collecta, qualiacunque erant, in Specula ſua, quaſi in horreum quoddam, comportaſſe, et,

et, ut ipsis eius verbis utamur; non per modum auctoris, sed excerptoris, ubique processisse. Qua in re adiutum se profitetur a fratribus quibusdam; quorum excerpta susceperit, quae saepius non tam verba, quam sententiam auctorum, sed fideliter expressam, exhibeant. Dicendum hic erat, ex quibusnam scriptoribus farraginem istam suam hauserit, ut eo rectius de pretio operis iudicari queat. Sed commodior ei rei locus paullo post erit, ubi de singulis eius partibus seperatim quaedam afferemus. Illud solum nunc commemoramus, etiam ex libris, qui aut non amplius extant, aut manuscripti in Bibliothecis latent, quaedam hinc inde transcripsisse. Sic disticha aliquot citat ex BERNARDI SILVESTRIS, qui saeculo duodecimo floruit, Microcosmo, nondum formis aeneis descripto. Multa item ex PETRO ELIA, celebri saeculi undecimi Grammatico, qui in PRISCIANVM commentatus est. Ea vero, quae ex vetustis auctoribus latinis, SENECA praesertim, PLINIO *) maiore, PALLADIO, in libros suos transtulit, usui fortasse Criticis esse possint, qui eos denuo recensendos sibi sument; quemadmodum iis, quae in PETRI

DE

*) J. M. Heusinger in specim. nouuae edit. libr. Cic de officiis, Pl. 1. §. 3. Vincentium in pluribus locis emaculandis sibi profuisse dicit.

DE CRESCENTIIS, qui saeculo XIII. floruit, libris ruralium commodorum, ex scriptoribus rei rusticae sumta leguntur, qui nouissime eos recensuerunt, usi sunt.

Jam de singulis totius operis partibus, quae ad noscendas eas pertinere videntur, breuiter exponemus. Pars prima est Speculum naturale, quo totam historiam naturalem complecti studuit VINCENTIVS. In ea describenda secutus est ordinem sex dierum creationis, atque in capita circiter MMMDCC, quorum tituli in principio operis leguntur, omnem dicendorum materiam digessit. Differuit autem, ut ipse ait, de prima natura, de angelica creatura, de materia informi, de fabrica mundi, ac iuxta seriem sex dierum operum de proprietatibus singularum per ordinem rerum, praecipueque de naturae humanae primaria constitutione, quae, (scilicet humana natura) omnium rerum finis ac summa est, in qua nimirum creaturae, siue naturae totius, videlicet corporalis et spiritualis, uniuersitas adunatur. Nihil temere eorum praetermisisse videtur, quae de rebus naturalibus ante eum in literas relata erant ab ARISTOTELE, SENECA, PLINIO, DIOSCORIDE, PALLADIO, ISIDORO, CONSTANTINO, ALBERTO M., GVILHERMO DE CONCHIS, PLATEARIO, etc. et praeterea multa corrasit, sigillatim ubi de Deo creatore, angelis et homine agit, quae ad historiam naturalem

lem

lem nemo hodie retulerit, ſed ad Metaphyſicam potius, doctrinam moralem et Theologiam. Ceterum fatetur VINCENTIVS ingenue, ſe multa curioſius, quam decuerit profeſſionem ſuam (monaſticam) inueſtigaſſe et deſcripſiſſe, praecipue, quae magis ad medicinam corporis, quam mentis pertinerent: feciſſe autem ſe illud in gratiam cum fratrum ordinis ſui, qui hoc opus deſiderauerint atque popoſcerint, tum aliorum, qui eiusmodi notitia delectentur.

Altera totius operis pars eſt Speculum doctrinale, de quo ſic Auctor: In hac ſecunda parte de naturae deſtitutae plenaria reſtitutione ſcribere breuiter affectamus. Et quoniam ipſa *reſtitutio per doctrinam efficitur atque perficitur*, iſta pars Speculum doctrinale non immerito vocabitur. Doctrinae namque cuncta procul dubio ſubiacent, quae vel ad tuendam, vel ad recuperandam, ſpiritualem vel temporalem ſalutem hominis pertinent. Hic ergo de doctrinis et artibus in hunc modum agitur. Primo quidem de omnibus in uniuerſali, videlicet de inuentione et origine ac ſpeciebus earum, et de *modo ſtudendi vel addiſcendi*. Poſtea de ſingulis in particulari. Et primum quidem de triuialibus ſiue ſermocinalibus, quia ſine his ceterae non traduntur aut communicantur, (i. e. praemiſſo breui Lexico, quo vocabula non omnibus ſatis nota explicantur, de Grammatica,

Logica, Rhetorica, Arte poetica, Fabulis.) Deinde vero de practicis, *quia per eas purgatis mentium oculis ad theoricam ascenditur.* (id est, de Ethica, quam Monosticam dicit, Oeconomica, ubi et de re rustica, de politica, ubi multa ex Jurisprudentia, de actionibus, criminibus.) Postea quoque de Mechanicis, quoniam ipsae, cum in operatione consistant, velut affinitate quadam practicis coniunguntur. (id est, de lanificio, architectura, arte fabrili, armatura, re militari, arte theatrica, nauigatione, mercatura, venatione, agricultura, alchymia, de practica medicinae s. chirurgiae.) Ad ultimum autem de theoricis, eo quod in eis omnium finis a sapientibus constituitur. (tibi de theoretica medicina, de cunctis speciebus aegritudinum, de Physica; hic multa ex speculo naturali repetita, de Mathematica, Metaphysica, Astronomia, de Theologia fabulosa et vera, de libris diuinis, de quibusdam scriptoribus ecclesiasticis.) Si quis accuratius scire cupit, quae sigillatim sub his titulis subiecta sint, ei index operi praemissus, quem auctor lucernam quandam, praemonstrantem semitam, appellat, est adeundus, ubi multa inueniet, quae in hoc libro tractari, sine hoc monitore non cogitasset. Excerptum est hoc volumen ex quamplurimis, tum veteris tum medii aeui, auctoribus, quos enumerare longum foret. Speciatim liber

liber V et VI, quibus doctrina moralis continetur, toti propemodum meris, veterum inprimis auctorum, sententiis constant, non illis apta ratione connexis, ut in MECHOVII Philosophia paraenetica factum videmus, sed prout fors tulit, sub certis tamen titulis, temere corrogatis.

Tertia pars est Speculum morale, quod uniuersam scientiam moralem, qualem illa tempora tulerunt, repraesentat. Agit autem de operibus hominum, de principiis actuum humanorum internis, id est, passionibus, de principiis externis, seu de lege et gratia, de virtutibus intellectualibus, moralibus, theologicis, de donis, de nouissimis, de remediis contra peccatum, de peccatis secundum se, de septem peccatis cardinalibus eorumque filiabus, ac postremo de poenitentia. Permulta in hoc speculo morali reperiuntur, quae totidem verbis in THOMAE AQVINATIS Summa, et quidem in prima secundae, et secunda secundae leguntur, etsi nusquam, quod ego quidem sciam, THOMAE in eo mentio fiat. Ac tota tractandi ratio ab ea, quae in ceteris deprehenditur, diuersa haberi potest. Nisi enim THOMAM comparaueris, non ex meris excerptis aliorum locis constare, sed maximam partem ex unius ingenii foetura esse videbitur. Reliqua porro in capita distributa sunt, hoc in distinctiones. Neque prologus ille communis, quem singu-

lis partibus operis ſui ſe praemiſſurum promiſit VINCENTIVS, in hoc reperitur. Illud quoque ſuſpicioſum, quod VINCENTII nomen non niſi libro ſecundo praeſcriptum eſt, in principio autem et fine operis non legitur. Unde fuere, qui non VINCENTIVM, ſed THOMAM, operis auctorem eſſe crederent. Alii nihil impedire putant, quo minus VINCENTIVS THOMAE Summa uti potuerit. Non eſt otii noſtri, hanc litem accuratius perſequi. Verum, ſi quis cogitet, nihil eſſe neceſſe, ut idem auctor, in omnibus ſuis ſcriptis, eandem per omnia rationem ſequatur, nihil fortaſſe cauſſae eſſe putabit, cur hoc Speculum morale non eodem, quo reliqua, iure VINCENTIO tribuatur: cum ſcripſiſſe ſe Speculum morale in Prologo ipſe teſtetur. Ceterum non ſolum Patrum ſententiis, ſed et copioſiſſimis Scripturae S. teſtimoniis utitur, et multa habet, quae non ſine fructu ab iis, qui ſermones ad populum habebant, illis temporibus legi poterant. Fabulas tamen etiam, et miracula, credulitatis ſuae teſtes, magno numero affert, quae vix Cato quidam ſine riſu leget.

Speculo hiſtoriali quartum locum VINCENTIVS aſſignauit, tametſi illud primum omnium ad LVDOVICVM, Galliae regem, qui totum opus quadripartitum ab eo petierat, ſumtusque ei deſcribendo ſubminiſtrauerat, ceteris nondum abſolutis, miſit,

ut

ut patet ex epiſtola ad regem ſcripta, quae in principio libri legitur. Perſequitur autem ordine temporum ſacram, ciuilem et literariam hiſtoriam, et multus inprimis eſt, in rebus geſtis, moribus, conuerſatione, paſſionibus Apoſtolorum, martyrum, ſanctorum epiſcoporum, monachorum, mulierum ſanctarum, exponendis. Miraculis item iis attributis tot tamque verboſe enumeratis differtum eſt opus, ut ingenue fateatur VINCENTIVS, ea copioſius, quam ipſe vellet, ab amanuenſibus narrata. Sed ne rex, ceterique lectores, qui hac totius operis parte ſola fortaſſe uſuri eſſent, omnino ignorarent, quae in tribus ceteris traderentur, eorum epitomas quasdam breuiſſimas huic hiſtoriali inſeruit. Infarſit praeterea multa, quae non ſunt argumenti hiſtorici. Sic. v. c. quae de concilio primo Hieroſolymitano commemorauit (in quo JACOBVM auctoritate pontificali protuliſſe ait diffinitiuam ſententiam, PETRVM enim tum nondum fuiſſe conſtitutum in cathedra pontificali) anſam ei praebuere de impletione legis per Chriſtum, et de ſeptem Sacramentis diffuſe agendi. Flores quoque non tantum ſacrorum doctorum, ſed et philoſophorum et poetarum, quorum ſuis locis mentio facienda erat, inſperſit, ut HORATII, ut pulchros illos ex nequiſſimis OVIDII libris collectos. Meditationes autem ANSHELMI, BERNHARDI, et

similes, sub continuatione quadam verborum abbreuiasse se dicit, ita, ut si libri cuiuslibet magnitudinem quis ignoraret, totum se habere putaret, ac distinxisse per particulas, quatenus ad historiae modum in refectoriis, in infirmatoriis, et aliis locis, inter fratres aedificationis caussa possent legi. AESOPI etiam fabulas plurimas telae suae intexuit. De quarum usu quid senserit, ipsum dicentem audiemus: „Haec de AESOPI fabulis excerpere volui, quas etsi forte plerumque liceat in sermonibus publicis recitare, quod etiam nonnulli prudentum faciunt, propter audientium taedia releuanda, quod talibus delectantur; simul et propter integumenta (f. argumenta) subiuncta, quae aliquid aedificationis habere videntur: Nunquam tamen nisi parce et caute id aestimo faciendum, ne, qui verbis sacris ad luctum poenitentiae, Deique deuotionem, prouocari debent, ipsi per huiusmodi nugas in risum magis atque lasciuiam dissoluantur; simul etiam ne ad enarrandas fabulas quasi licenter, exemplo praedicantium male informentur.„ Historiae rerum gestarum auctores habuit VINCENTIVS: PETRVM COMESTOREM, JVSTINVM, OROSIVM, JVLIVM CAESAREM, SVETONIVM, CVRTIVM, VALERIVM MAXIMVM, EVSEBIVM, RVFINVM, HIERONYMVM, PROSPERVM, SIGEBERTVM, historiam CASSIODORI tripartitam, HVGONEM Floriacen-

cenſem, TVRPINVM, ceteros multos hiſtoriographos, et innumerabiles hiſtorias de paſſionibus martyrum, etc. Fuitque olim magnae auctoritatis, quam LVDOVICVS VIVES etiam LIVIO parem obtinuiſſe commemorat. Ac potuere certe in opere tam vario, homines, qui meliora ignorabant, et credere, quam iudicare malebant, vel temporis fallendi cauſſa legendo, cum voluptate quadam verſari. Atque ego quoque, dum particulas quasdam quatuor Speculorum, tanquam explorator, curioſius luſtro, inueni, quae inueniſſe non erat iucundum, ex quibus pauca ſubieci. De utilitate hiſtoriae naturalis praeclare ſentit; ſed longior eſt locus, quam ut huc apponi poſſit. De malo haec habet: Sicut in pictura color albus pulchritudinem reddit cum colore nigro, loco ſuo bene ordinato: ſic uniuerſitas rerum, ſi quis intueri poſſit, etiam in peccatoribus pulchra eſt; licet per ſe conſideratos ſua deformitas turpet. Item, deformitas mali non minuit pulchritudinem uniuerſi. Alio loco ait, animam rationalem non eſſe virtutem organicam. Paria facit, niſi fallor, vis organica, quam quidam animam rationalem eſſe ſtatuebant, cum organiſatione, qua voce recentiores quidam impietatis magiſtri in eadem cauſſa utuntur. Poeticae proprium eſſe definit VINCENTIVS ſermonibus ſuis facere imaginari aliquid pulchrum, vel

foedum, quod non eſt ita. Idem iam olim ſenſiſſe videtur VINCENTIVS, quod noſtra memoria b. A. G. BAVMGARTEN, cui Poeſis eſt habitus conficiendi orationem ſenſitiuam. Oratio enim ſenſitiua non eſt alia, quam quae facit ut imaginemur res, id eſt, ſub certis imaginibus nobis repraeſentemus, quam notionem Poeſeos, tanquam nouam et inauditam, improbari viris quibusdam eruditis meminimus. Plura proferre poſſem, ex quibus VINCENTIVM, qui ob parvam praedicationis et doctrinae gloriam multos inuidere ſibi queſtus eſt, fuiſſe ingenio haud abſurdo, animo religioſo, eruditione, pro ratione aeui iſtius, haud vulgari, iudicare liceat, quanquam non niſi excerpendi diligentiam ſibi vindicet. Sed vereor, ne iam plura, quam opus erat, dixiſſe videar. Illud unum addo, luculenta etiam barbariei, quae lucem tum paullatim orientem inumbrabat, veſtigia, in his, de quibus agimus, libris deprehendi, cuius aliquot ſpecimina dabimus. Mathematica dicitur a Matheſis, quod eſt abſtractio, et icos, quod eſt ſcientia. Mechanica ſic dicitur, quia corpori, cui ſeruit, mecha eſt. Mechi enim graece, ſeruitus latine. Alibi, mechanica, adulterina. Monoſtica, amonos et icos, quod eſt ſcientia. Hoc nomine ei venit ſcientia regendi ſe ipſum, ſ. ethica. Ephebi, adoleſcentes, a febo dicti. Faſtorum libri

ſunt

sunt, in quibus reges vel consules scribuntur, a fascibus dicti, i. e. potestatibus. Nothy elythos, non semel occurrit pro γνωθι σεαυτον. Sic Sinalimphe, omethelenton, Sinodoche, Antismos, Admestia, Dyaletica, Tantalogia, et alia innumera, ex quibus quanta tum fuerit graecae linguae ignorantia, facile coniici potest. Nostrum est agnoscere felicitatem temporum nostrorum, quibus omne propemodum doctrinae genus a sordibus purgatum, maiori in dies luce colluſtrari polirique videmus. Quam ad rem, quin scholae etiam, in quibus ad omnem humanitatis cultum excitari ingenia solent, quod suum est conferant, non est dubium, quas omnibus adeo modis foueri, et sartas tectas conseruari, rei publicae interest. Atque hanc nostram etiam bonarum artium officinam in partem publicarum curarum venire, solenne, quo adolescentiae studiosae profectus per hosce dies sunt explorati, examen testatur, quo finito tres, ut moris est, publice in auditorio Gymnasii habebuntur Orationes, quarum primam recitabit Vir summe reuerendus IOH. ADAMVS LEHMVS, Ecclesiarum Rotenburgicarum Superintendens, ac *de Poesi Jobi* verba faciet. Alteram Nos, de *habitu rei scholasticae ad rem publicam* breuiter dicturi. Postremo WILHELMVS HENRICVS Mertz, Reip. Alumnus, de quo bene sperandi causſam non habe-

mus nullam, *quae literarum ſtudia tractaturo facienda, quae fugienda ſint*, exponet. Hanc ſcholaſticam ſolennitatem, ut illuſtres, generoſi et magnifici Domini Conſules, ſplendidiſſimi et ampliſſimi Domini Senatores, omnes item reliqui omnium ordinum, ſuis quisque meritis titulisque condecoratiſſimi Viri, et quicunque ſe literas colere et amare profitentur, exoptata ſua praeſentia ornare ne dedignentur, ea, qua par eſt, obſeruantia atque humanitate petimus atque contendimus.

Rotenburgi ad Tubarim. P. P. a. d. *III.* Maii,
CIↃ IↃCC LXIV.

## XXXIII.

## Catalogus librorum de inſtitutione.

Quod dudum facere conſtitueram, ut eorum auctorum, qui de ratione docendi diſcendique, quam ſcholae ſequerentur, ſcripſerunt, libellos, non omnes, qui enim fieri poſſet? ſed quos ipſe legiſſem, aut certe vidiſſem, indicem ederem, id nunc effectum dare adgredior: cum variae cauſſae aliquid commentandi facultatem mihi adimant. Quanquam autem mercem obſoletam explicare quibusdam forte videbor,

bor, non tamen prorſus inutile arbitror ſcire, quinam in conſtituenda re ſcholaſtica elaborauerint, et, qua via, qua diſciplina, adoleſcentiam ad bonas literas informandam ſanxerint. Ac poteram paullo altius repetere varia de ſtudiis recte inſtituendis conſilia, neque iniucundum futurum fuiſſe arbitror, ſi in muſea eruditarum ſuperioris aeui animarum irrepſiſſem, exploraturus, quibus artibus, quibusque praeſidiis adiuti, ad excelſum illud doctrinae, in quo ipſos ſteriſſe nouimus, faſtigium, enixi fuerint. Sed ſatis erit citeriores luſtraſſe ſcholas, et quid rei actum geſtumque ſit in illis oſtendere; ſeu, ut rectius dicam, harum rerum curioſis indicare, ex quibus fontibus hauire earum cognitionem poſſint. Quos, qui adire volent, iis facile adparebit, quid et quantum differat, quae olim obtinuit, ſcholaſticae inſtitutionis ratio, ab ea, quae nunc in uſu eſt, quae item alteri ſit praeferenda: diſcent multa a maioribus noſtris recte eſſe conſtituta, quae partim hodie quoque ſequimur, partim ſeu negligentia quadam, ſeu opinionis errore, in deſuetudinem venire paſſi ſumus. Semina etiam quaedam hinc inde ſparſa animaduertemus eorum, quae noſtri temporis inuenta creduntur, atque omnino multa cognoſcemus, quorum nos poenitere non debeat, niſi ſolos eos, qui nouiſſime fundum ſcholaſticum colendum ſibi ſumſerunt, ſapere, qui ante eos fue-

fuerunt, fungos et ſtipites fuiſſe exiſtimemus. Sed ad rem veniendum eſt.

*Johannes Sturmius*, cum omni eruditionis genere, tum eloquentiae artibus, inſtructiſſimus, ac regibus etiam et principibus carus, pluſcula de ſcholis recte conſtituendis ſcripſit, quae ſummo applauſu excepta fuerunt. Ea *Fr. Andr. Hallbauerus* Jenae, anno 1730. in 8. iterum edidit. Sunt autem iſta: I. De Educatione principis. II De Nobilitate literata. III. De literarum ludis recte aperiendis. IIII. Libri tres epiſtolarum claſſicarum. V. Liber epiſtolarum academicarum. VI. Scholae Lauinganae. Idem etiam *Hallbauerus Sturmii* de Periodis, et de imitatione oratoria libros; *Joh. Ge. Jochius* a. noſtras, illum de linguae latinae reſoluendae ratione recudi fecerunt. Ut iam nihil dicam de libris de uniuerſa ratione elocutionis rhetoricae, de amiſſa dicendi ratione, de dialogis in *Ciceronis* partitiones oratorias, ceteris. Propoſitum erat *Sturmio* ad perfectam latinae graecaeque linguae facultatem comparandam adducere adoleſcentiam. Comoedias *Ariſtophanis*, Tragoedias *Euripidis*, a diſcipulis agi; ſcriptores latinos a prouectioribus non germanice exponi, ſed verbis commutatis latine, vel etiam graece, ſubita dictione reddi; Dialecticam, Ethicam, Politicam ex ipſo *Ariſtotele*; Rhetoricam ex *Hermogene*, cuius partem etiam ipſe

ipſe edidit, aliisque graecis et latinis vetuſtis auctoribus; Geometriam ex *Euclide*, aliisque, tradi voluit. Tot tantasque res, quae difficultate non carent, ad quarum mentionem noſtri temporis adoleſcentia, maximam partem, horrore quodam concuti ſolet, cum poſtularet a ſuis *Sturmius*, magnus tamen ad ſcholam Argentinenſem concurſus factus eſt. Sed plura de eo commemorare feſtinatio prohibet. Adeat, qui volet, *Jacobi Burckhard* de Argentinenſis ſcholae laudibus orationem, et *Hallbauéri* ad libellum de Periodis praefationem.

*Sebaldi Heyden* Paedonomia ſcholaſtica, pietatis, ſtudii literarii, ac morum honeſtatis praecepta continens. Norimbergae 1546 et 1551. in 8.

*Antonii Schori* de ratione diſcendae docendaeque linguae latinae et graecae libri duo. 1549. 1575. in 8.

*Joachimi Camerarii* Enumeratio eorum, quae in docendo ſequenda eſſe videantur. gr. et lat. Lipſ. 1551.

*Godeſcalci Praetorii* Ludi literarii Magdeburgenſis ordo, leges, ac ſtatuta. 1553. in 8.

*Nicolai Agricolae* Liber de liberali et pia inſtitutione iuuentutis, pro ſchola Ratisponenſi. Ratisp. 1561. in 8.

*Joannis Rivii*, Atthendorienſis, libellus de ratione diſcendi. Addita ſunt alia eiusdem argumenti opuſcula, omnibus tam Magi-

Magiſtris; quam diſcipulis lectu utiliſſima. I. De ratione ſtudii epiſtola *Rud. Agricolae.* II. *Eraſmi Rot.* aliquot eiusdem argumenti libelli. III. Ratio colligendi locos communes. IIII Anonymi admonitio de ratione diſcendi Auguſtae Rheticae in 8.

Harmonia de ratione inſtitutionis ſcholaſticae. Cui additae ſunt commonefactiones *Melanchthonis*, *D. Eberi*; et *D. Victor. Strigelii* de formandis ſtudiis. Witebergae, 1565. in 8. Auctor eſt *Joh. Garcæus*, iunior.

*Baſilii Fabri*, Sorani, diſciplina ſcholaſtica. — Statuta ſcholarum Saxonicarum ill. Principis *D. Julii* Brunſuicenſis et Luneb. 1570. in 8.

*Johannis Grunii*, Rect. Gymn. Juterboc, σκιαγραφία ſcholae trivialis recte aperiendae. Witebergae 1575. in 8.

Introductio nouae ſcholae Aldorfianae. Norimb. 1576.

*Dauid Chytraeus*, de Ratione diſcendi et ordine ſtudiorum etc. Witebergae, 1576. in 8. et auctior Lipſ. 1588. Ad regulas ſtudiorum *D. Chytraei* appendix, Lipſ. 1595. qua etiam continetur *Laur. Rhodomanni* Philomuſus.

*Michaëlis Neandri* Bedencken, wie ein Knabe zu leiten und zu unterweiſen, daß er ohne groß Jagen, Treiben und Eilen, mit Luſt und Liebe, vom ſechſten Jahr ſeines Alters an, bis auf das achtzehende, wohl und

fertig

fertig lernen möge, pietatem, linguam latinam, graecam, hebraeam, artes, und endlich uniuerſam philoſophiam. 1581. in 8.

*Nicodemi Friſchlini* de ratione inſtituendi puerum ab anno aetatis ſexto et ſeptimo ad annum usque decimum quartum, ita, ut praeter duas aut tres maternas linguas, etiam latinam diſcat recte loqui et ſcribere, graecam vero mediocriter intelligere: inſuperque rudimenta dialecticae et rhetoricae ad uſum ſcribendi conferre. Gyſſingae 1584. in 8. Reperitur et in *Rhenii* methodo etc.

M. *Antonii Mokeri* ordo doctrinae et diſciplinae in Paedagogio Monaſterii Erphordiani ad S. Auguſtinum. Adiectus eſt Hiſtoriae paſſionis — Jeſu Chriſti heroico carmine redditae eiusd. Auct. 1588. in 8.

*Pauli Sperlingii* ſcholae Flensburgenſis adminiſtratio. Witebergae 1589. in 8. Sturmium preſſe ſequitur.

*Edmundi Richerii* obſtetrix animorum. *Voſſii* de ſtudiorum ratione opuſcula, etc. Lipſiae 1693. et antea Ambergae 1608. in 12.

*Joan. Caſelii* de ludo literario recte aperiendo liber. Helmſtad. 1611. 1637. in 12.

Methodus inſtitutionis noua quadruplex. 1. *Joh. Rhenii.* 2. *Nic Friſchlini.* 3. *Ratichii* et *Ratichianorum* tergemina. 4. Jeſuitarum,

tarum, vulgo Janua linguarum dicta. Edita ſtudio et opere M. *Joh. Rhenii*, Lipſ. 1617. 1626. in 8. Acceſſerunt in fine *Joh. Lippii* Canones in ſtudiis et victus ratione obſeruandi.

M. *Andreae Crameri*, Paſt. et Scho'. Magdeb. Anleitung, wie die zarte Jugend von Kindt auf in Gottesfurcht, Künſten und Sprachen recht wohl und förmlich könne erzogen, und ad Academica Studia praeparirt werden. Mit beygefügtem gleichmäſigen Bedencken *Dan. Wolteri*, *Soph. Haſenmulleri*, *Joh. Rhenii*, *Pe. Rami*. Magdeb. 1618. in 8.

Gymnaſii Islebienſis σκιαγραφία Isleb. 1619. in 4. Caſp. Dornavii Ulyſſes ſcholaſticus. 1619.

*Chriſtophori Helvici* libri didactici, Grammaticae uniuerſalis, Latinae, Graecae, Hebraicae, Chaldaicae, una cum generalis didacticae delineatione, et ſpeciali ad colloquia familiaria applicatione; hactenus a multis deſiderati, et nunc in uſum ſcholarum editi. Gieſſae, 1619. in 4.

M. *Sigismundi Evenii*, Schol. Hall Sax. Rect. Methodi linguarum artiumque compendioſioris ſcholaſticae demonſtrata veritas. Wittebergae 1623. in 8. edit. II. Einsdem Schola Chriſtiana, ſolida ac pie erudita, d. i. Formul und Abriß, wie eine Chriſtliche

liche gelehrte Schule christlich und richtig solle angestellet werden. Magdeb. 1625. in 8.

*Jani Caecilii Frey* Via ad diuas scientias artesque, Linguarum notitiam, sermones extemporaneos, noua et expeditissima. Jenae 12.

*Sophoniae Hasenmulleri* Scholarum particularium breuis designatio, et Requisitorum notatio, cum sua didactica et libellis scholasticis. Norimb. 1624. in 8.

De ratione discendarum linguarum dissertatio, et de linguae latinae reparatione Dialogus, cum *Ob. Gifanii* obseruationibus singularibus in linguam latinam. Francof. 1624. in 8.

M. *Statii Buscheri*, scholae Hanoueranae Rectoris, Unterricht wie die Studia der lieben Jugend zu Gottes Ehren und der Menschen Wolfart sollen gerichtet werden. Auch ob man *Rami* Logicam hiezu nützlich gebrauchen könne. Dabey Usus Logicae in Analysi und Genesi, sowohl in sacris als profanis Studiis wird erwiesen. Rinteln 1626. in 8.

*Joh. Henrici Alstedii* Consiliarius academicus, i. e. Methodus formandorum studiorum, continens commonefactiones, consilia, regulas, typos, calendaria de ratione bene discendi, et ordine studiorum recte instituendo, perpetuis tabulis adornata: in gratiam studiosorum tum academicorum

corum, tum triuialium, in ſcholis particularibus, ut vocant. Acceſſit conſilium de copia rerum et verborum. Ed. II. auctior. Argentorati 1627. in 4.

De Reſtauratione Gymnaſii Argentoratenſis, Progr. *Ge. Dau. Locameri*, 1634. in 4. ubi tota eius ratio exponitur.

*Henr. Julii* Scheurl Statua Mercurii ad optimos quosque Scriptores latinos, et fructus ex iis uberrimos certiſſimam viam demonſtrans. Helmeſtadii 1636. 1670. in 4.

M. *Joh. Seybothii*, Gymn. Rotenb. R. Paedia gemina, una Philologica, linguarum, altera philoſophica, ſcientiarum naturam, culturam et uſum demonſtrans. Rotenb. ad Tub. 1636. 8.

*Joannis Amos Comenii* Panſophiae Prodromus, et conatuum Panſophicorum dilucidatio. Accedunt didactica diſſertatio de ſermonis latini ſtudio perfecte abſoluendo, aliaque, de uſu debito Veſtibuli et Januae informatorium, cui accedit de iisdem perficiendis *G. V.* (*Vechneri*) conſilium Lugduni Batauorum 1644, in 12.

Eiusdem Latinitatis ſchola triclaſſis. Per Veſtibulum, Januam, Atrium in authorum palatia unius triennii ſpatio adoleſcentes (quantocunque numero admiſſos) amoene deducens. Amſterd. 1657. in 8.

*Hugo*

*Hugonis Grotii*, et aliorum, dissertationes de studiis instituendis. Amsterd. 1645. in 12. Continentur hoc libro XXIV. dissertationes doctorum hominum, in quibus *Naudaei* Syntagma de studio liberali, *Ringelbergii* de ratione studii, *Campanellae* de recta ratione studendi, *Scioppii* consultationes de scholarum et studiorum ratione. etc.

Johann Justi Wynkelmann einfältiges Bedencken und Anzeige, woher es komme, daß heutigs Tags die Jugend sehr verzogen, Sprachen und freye Künste nichts geachtet, und in Erlernung derselben grose Mühe, lange Zeit und viel Kosten öfters vergeblich angewendet werden, (und wie diesen Dingen abzuhelfen.) Marpurg, 1649. in 4.

*Joh. Val. Andreae* de literatura rationabilius docenda consilium, habetur in eius Theophilo. 1649. in 12. conferri potest etiam eius Reipublicae Christianopolitanae descriptio, 1619. in 12. edita.

Ordnung und Statuten der Latinischen Schul der Statt Franckfurt am Mayn. 1654. c. appendice de anno 1676.

*Conradi Horneii* Bedencken über das Schulwesen, darinn ausgeführt: 1. worauf eine rechtschaffene Erudition bestehe, 2. wie die Fundamenta dazu in den Particular-Schulen zu legen. 3. wodurch die Particular-

Schulen in Abgang gekommen. 4. wie dieselben wiederum zu heben. Wulffenbüttel, 1657. in 8.

*Michaelis Havemanni* Amusium, sive Cynosura studiorum. Hammopoli 1657. in 8. edit. aucta et innouata.

*Dan. Lenceri*, Rect. Schleusing. wie die Stadtschulen der Fürstl. Grafschafft Henneberg in die untern Classen des Gymnasii zu Schleusingen einzurichten. Schleus. 1657. in 8.

Joh. Sebast. Mitternachts, Rect. zu Gera, Paedia, das ist, Bedencken von Erziehung und Unterweisung der Kinder. Leipz. 1657. in 12.

Eigentlicher Abriß eines rechtschaffenen wohlbestellten lateinischen Gymnasii, und welches die rechte alte Lehrart sey, die lateinische Sprache kurz und gründlich zu begreifen. Regensp. 1660. Auctore *Ursino*, in 8. Eiusd. Musageres, sive de studiis recte instituendis, in 12. 1659.

Consilia reformatoria, oder unterschiedliche Bedencken zur Reformation des itzigen heuchlerischen, pharisäischen Christenthums höchstnöthig und nützlich. 1664. in 4. complectitur inter alia, *H. Augusti* zu Brunswyck, Schulordnung, und etliche Verordnungen den Catechismus-Unterricht der Jugend betreffend, u. a. m.

Fun-

Fundation und Ordnung, wie es mit dem illustri Gymnasio zu Bayreuth künftig soll gehalten werden. 1664. fol.

Methode pour commencer les humanités grecques et latines, par Mr. *le Fevre.* Salmurii, 1672. Recusus est hic libellus dans les memoires de Litterature, To. II.

*Guilielmi Mechovii*, Hermathene, de recta institutione iuuentutis scholasticae libellus tripartitus, ex optimis docendi magistris, tam priscis, quam nouis, concinnatus. Francofurti, 1673. in 12.

M. *Christophori Pomarii* Consiliarius scholasticus, h. e. de studiis triuialibus ordinandis dissertatio. Magdeb. 1675. in 12.

*Joh. Ge. Seybolds* Praeceptor Methodicus, deutsch, accessere 1. Methodus legendi auctores *G. Fr. Bl.* II. Aristarchus de bono et fideli praeceptore, *Ad. Weinh.* latine. Nürnb. 1677. in 12.

Mineruae Tyrocinium, oder Praxis der Böcklerischen Anweisung, wie man die Auctores classicos bey und mit der Jugend tractiren soll. Straßb. 1680. in 12.

Joh. Heinr. Böcklers Gedancken, wie mit einem jungen Menschen, den man mit der Zeit zu was grosses anführen will, die Humaniora zu treiben, c. praef. E. S. Cyprians. dir. Ed. II. Coburg. 1734. in 8.

Traité du choix et de la methode des Etudes par Mr. *Claude Fleury*. a Bruxelles, 1687. in 12.

*Rolandi Mareſii* Epiſtolae philologicae, curante *A. Rechenberg*. Lipſiae 1687. in 12.

Gründliches Bedencken von verſchiedenen, theils offenbahren, theils nicht allerdings bekannten Mißbräuchen, ſo geraume Zeit her in die Schulen eingeriſſen — auch wie die Sache mit beſſerer Manier möchte eingerichtet werden, — von einem, der ſchon lang, und nun je länger je mehr, ſich Amts und Gewiſſens halber um den Schaden Joſephs bekümmert. Augſp. 1693. in 4.

Chriſtian Weiſens vertraute Geſpräche, wie der Jugend im Informations-Wercke mit allerhand oratoriſchen Handgriffen möchte gedienet und gerathen ſeyn. Leipz. 1697. in 8. Eiusd. Curieuſe Gedancken von der Imitation, etc. Leipz. 1698.

Nürnbergiſche verbeſſerte Lehr- und Zucht-Anſtalt, von Joh. Conr. Feuerlein, Paſt. und Gymn. Inſpectore. Nürnb. 1699. in 4.

D. G. W. (Wegner) Gutachten von Information der Kinder, wie ſie zu Hauſe und in Schulen glücklich könne geführt werden. Franckf. an der Oder, in 12.

Pen-

Penſées ſur la neceſſité et ſur la manière d'étudier pour les perſonnes, qui ne font pas Profeſſion de Lettres. *Clericus* in Parrhaſianorum tomo ſecundo. Amſterd. 1701. in 8.

*Gothofredi Vockerodt* Conſultationes de literarum ſtudiis recte et religioſe inſtituendis. Gothae 1705. in 8.

*F. W. Bierling* de Eruditione politiore. 1708. in 4.

*Jo. Jac. Syrbii* de re ſcholaſtica recte conſtituenda diſſertatio. Jenae, 1711. in 4.

*Jo. Matth. Geſneri* Inſtitutiones rei ſcholaſticae, Jenae 1715. in 8.

*C. F. Wiliſchii* orat. auſpicalis de ſtudiis in ſchola praeſertim tractandis. Altenburgi 1715. in 4.

*Ge. Nicolai Kriegk* Conſtitutio rei ſcholaſticae Ilfeldenſis. Northuſae 1716. in 4.

Chriſtian Heinrich Weiſens Gutachten von Schulſachen, darinnen die Requiſita einer wohlbeſtellten Schule gezeigt, und zugleich eine gute Methode angewieſen wird, junge Leute zur Tugend und Gelehrſamkeit anzuführen. Chemnitz 1717. in 8.

Stadt-Hannöverſche Schulordnung. Edit. II. 1718. in 4.

M. Gottfr. Hoffmanns Kleine deutsche Schrifften von Erziehung der Jugend, und vernünftigen Einrichtung des Schulwesens. Zittau 1720. in 8.

Aug. Herm. Franckens Bericht von der gegenwärtigen Verfassung des Paedagogii regii zu Glaucha vor Halle. 1721. 1746. Verbesserte Methode des Paedagogii regii. 1/2.

*Josephi Juuencii*, e Soc. Jesu, Ratio discendi et docendi, Parisiis, 1725. 8.

*Gottfr. Polyc. Müllers* Abriß der Schulstudien, und desjenigen, so bisher auf dem Zittauischen Gymnasio praestirt worden. Zittau 1725. in 4.

*Joh. Werneri Reutelii* Noua et facillima methodus docendi linguas et disciplinas scholasticas deutsch Francof. ad M. 1726. in 8.

Eines Christlichen Schul-Freundes unmaßgebliche Vorschläge zur Verbesserung des hin und wieder so sehr verderbten Schulwesens, c. praefat. d. *J. H. Michaëlis*. Halle 1727. in 8.

Merckwürdige Nachricht von einem sehr frühzeitig gelehrten Kinde, (Baratier) nebst vielen zur Kinderzucht (und Information) gehörigen Anmerckungen. Stettin und Leipz. 1728. 4.

Remar-

Remarques fur l'Inſtruction des Enfans illuſtres, etc. in 8.

E. E. Raths der Statt Hamburg Ordnung der öffentlichen St. Johannis = Schule. Hamb. 1732. in 4.

De la manière d'enſeigner et d'étudier les belles lettres, par rapport à l'eſprit et au coeur, par Mr. *Rollin.* à Amſterdam 1732. in 12. IV Tomi. In varias linguas translatus et ſaepius editus liber.

*Joh. Nic. Funccii* de Lectione auctorum claſſicorum ad comparandam latinae linguae facultatem neceſſaria, liber. Lemgoviae 1730. ed. alt. 1745.

Ausführlicher Bericht von der dermahligen Verfaſſung und Beſchaffenheit der Stadt-Schule zu Neuſtadt an der Aysch, entworfen von *Paulo Eugenio Layritz*, Rect. 1737. in 8. J. B. Dörflers Kurze Zugabe zu dem Bericht ꝛc. 1744. in 4.

*Mich. Kelſch*, Prof. Math. Altorf. de utilitate methodi mathematicae in docenda Juuentute. Altorf. 1735. in 4.

Onolzbachiſche Schulordnung, 1736. in fol.

Gottfr. Clemens gegründete und durch die Erfahrung beſtättigte Vorſchläge, von der

der leichteſten und deutlichſten Lehrart in einer öffentlichen Stadt-Schule, 1736. in 4.

*Joh. Mariae Maxes* Allerneueſte Vorſchläge zu Verbeſſerung des deutſchen Schulweſens, mit Anmerckungen der ſorgfältigen Väter. Franckf. und Leipz. 1736. in 8.

Schulordnung vor die Churfürſtl. Braunſ. Lüneburgiſche Lande. Göttingen, 1738. in 8. Auctore *J. M. G.*

*Phil Jac. Crophii*, G. A. R. Hiſtoriſche Erzehlung von dem Urſprung, Einrichtung und Schickſalen des Gymnaſii zu St. Anna in Augſpurg. 1740. in 8.

*Joh. Nic. Funccii* de literarum ſtudio, earundemque tradendarum certa ratione, Conſultationes ſcholaſticae, Marb. et Rint. 1742. in 8.

D. Fr. Andr. Hallbauers Kurze Vorſchläge zu nöthiger Verbeſſerung des Schulweſens, ins Teutſche überſetzt, und mit Anmerkungen vermehrt von J. G. Hauptmann. Jena, 1746. in 8.

Die Lehrart, welcher ſich *Ge. Venzki*, adiungirter Rector in Prenzlau, bedienet. Prenzlau 1746. in 4.

M. Fr. Chriſtian Baumeiſters, *G. G. R.* Aufrichtige Anzeige der vortheilhaften Einrichtung für die zarte und erwachſene ſtudirende

Jue

Jugend, auf dem Görlitzischen Gymnasio. Görlitz, 1747. in 4.

M. *Joh. Lud. Pacht* de literas elegantiores in scholis tradendi ratione et usu. Gottingae 1747. in 4.

*Corvvante* de Philosophia in scholis rite tractanda. Gott. 1740. in 4.

Agenda scholastica, oder Sammlung von Schulsachen, X. Stücke. Berlin 1750 — 1752. in 8.

H. C. Engelhardts Gedancken von Verbesserung des Schulwesens. Marburg 1753. in 4. Laud. Gottingenses.

Neue Lehrart, wodurch man in kurzer Zeit nicht nur zu einer grossen Fertigkeit und Stärcke, sondern auch zu einem guten Geschmacke in einer jeden Sprache gelangen soll, von M. *J. A. G.* Berlin 1755. in 4.

Verordnung wegen der Schule zu St. Catharinen zu Lübeck. Lübeck 1755. in 8.

M. *Joh. Pe. Millers*, R. G. H. nunc Prof. Th. Gott. Nachricht von der ietzigen Verfassung des Evangelisch-Lutherischen Gymnasii zu Halle. 1755. in 8.

Eiusd. Die Schule des Vergnügens, neun Abhandlungen. Halle 1756 -- 1764. in 4. Auctiores deinde reculae. in 8.

Joh.

Joh. Matth. Gesners Kleine deutsche Schriften, 1756. in 8.

Untersuchung, was Soliditas, oder Gründlichkeit, in Schulsachen heiße. Drey Betrachtungen. Berlin, 1758. 1759. in 4.

Glückselige Schulen. Sieben Abhandlungen. 1759 -- 1766. in 4.

Joh. August von Einem kurzgefaßte Nachricht von der gegenwärtigen Verfassung der Real-Schule in Berlin. Berlin, 1763. 8.

Ausführliche Nachricht von der gegenwärtigen Einrichtung des Paedagogii zu Closter Bergen, worinn die daselbst eingeführte Lectionen und Lehrarten umständlicher beschrieben werden. Magdeb. und Leipz. 1763. in 8.

Gedancken über die beste Art, die classische Schriften der Alten mit der Jugend zu lesen. Berlin 1765. in 8.

Von der öffentlichen Erziehung, oder dem Unterricht und der Zucht der Jugend in den allgemeinen Schulen. Aus dem Französischen. Augsburg 1764. 8.

(C. C. Harleß) Gedancken von dem Zustand der Schulen und deren Verbesserungen. Jena 1761. 8.

G. C. Harleß Gedancken von den Realschulen. Bremen 1766. 8.

Brie-

Briefe über die Einrichtung des Schulwesens und des Unterrichts der Kinder und junger Leute überhaupt. ꝛc. Rostock und Wismar 1759. 8.

Martin Ehlers Gedancken von den zur Verbesserung der Schulen nothwendigen Erfordernissen. Altona und Lübeck 1766.

Magazin für Schulen und die Erziehung überhaupt. 1766 -- 1769. Decem partes, quas plures sequentur. Tulit, quem meruit, applausum, quod apparet ex diariis eruditis, v. c. Gottingensibus, p. 465. anni 1766, aliisque.

In hoc opere finiatur recensio copiolarum mearum, ut coena in bellariis, ut postremorum iucunda sit recordatio. Nomenclatorem autem egi, non censorem, quem maioribus mentis viribus instructum esse oportet, quam anni fugientes mihi reliquerunt. Quae de *Sturmio*, *Neandro*, *Evenio*, *Comenio*, ex historia literaria adspergi forte debebant, chartarum angustia exclusit. Quod promiscuam turbam, nullo discrimine, in medium produxi, id certo consilio faciendum putaui, memor triti illius, interdum etiam olitorem opportuna esse locutum. Jam ad illud, cuius caussa haec tabula proponenda fuit, venio. Lustratis nimirum, conlucto examine, Gymnasii

naſii noſtri curiis, coronis huic ſolennitati ſcholaſticae, recitandis publice orationibus, imponetur. Ac Vir quidem SVMME REVERENDVS IOH. ADAMVS LEHMVS, ECCLESIARVM ROTENBVRGICARVM SVPERINTENDENS *de Poëſi Jeremiae aliorumque Prophetarum minorum*; aget. Tum IOH. GEORG. CHRISTIANVS HELLER, Reip. Alumnus, *de vi exemplorum*, pro captu ſuo, paucis diſſeret. Cui actui, ut ſummi Reip. Proceres, Senatoresque ampliſſimi, ceterique omnium ordinum Viri, ſuis quisque titulis meritisque condecoratiſſimi, pro ſua humanitate frequentes intereſſe, ſuoque exemplo excitare adoleſcentiae ſtudia ne dedignentur, vehementer petimus atque contendimus.

Rotenburgi ad Tub. P. P. a. d. VII. April.
CIↃ IↃCC LXVIIII.

10759799



# XXXIV.

## De Molnari Syllectis scholasticis. Definitio philosophiae Wolfiana. An non nisi iucunda tradenda sint. De usu Logicae locus Sturmii.

Cum anno superiore indiculum librorum, qui de re scholastica agerent, quos aut ipse haberem, aut certe legissem, ederem, factum est, nescio quomodo, ut cum alios plusculos, tum MOLNARI Syllecta scholastica praetermitterem, si non alia re, rarita-te certe memorabilia, cuius idoneus testis est B. G. STRVVIVS, in praefatione, quam BAPTISTAE GVARINI de ordine docendi et studendi libello, ex MSto emendato, *) praemisit, ubi inter alia eum, licet anxie quaesitum,

*) Jenae, 1704. in 8.

ſitum, reperire ſe non potuiſſe ait. Cui conſentiunt I. C. WENDLERVS in diſſertatione de variis librorum impreſſorum cauſſis, *) et I. VOGT in Catalogo hiſtorico-critico librorum rariorum. Hic igitur ut paullo propius noſcatur, iam efficiam. Fiet id breuiſſima opera, ſi totum titulum huc transſcripſero. Eſt is autem eiusmodi.

Sylleƈta ſcholaſtica, velut

I. Methodus nouam aperiendi ſcholam, eccleſiae ac reip. apprime ſalutiferam, IOHANNIS BILSTENII.

II. De ſcholis vernaculis, item quae ad uberiorem ingenii culturam faciunt. Ex Politia eccleſiaſtica WILHELMI ZEPPERI.

III. Inſtitutio puellarum, ex epiſtola diui HIERONYMI ad Laetam.

IV. De formando ſtudio RVDOLPHI AGRICOLAE epiſtola, ſcripta Heidelbergae, anno Chriſti 1484.

V. De

*) Jenae, 1711. in 4. F. 3.

V. De tempore ſtudiis impendendo PETRI MOSELLANI.

VI. De Ratione inſtituendi puerum ab anno aetatis ſexto et ſeptimo, ad annum usque decimum quartum: ita ut praeter duas a. tres maternas linguas, etiam latinam diſcat recte loqui et ſcribere: Graecam vero mediocriter intelligere: inſuperque rudimenta Dialecticae et Rhetoricae ad uſum ſcribendi conferre, NICODEMI FRISCHLINI, peregrinantis in Hungaria, Anno 1584.

VII. Inſtitutio in Paedagogiis illuſtribus inferioris Palatinatus.

Collectore

ALBERTO MOLNAR.

Heidelbergae, ſumtibus Danielis ac Dauidis Aubriorum, et Clementis Schleichii, Bibliopolarum Francofurtenſium, Anno M IↃ C XXI.

Septem ſunt plagulae, in 8. charactere minuto. Dedicatus eſt libellus, illuſtri ac generoſo Comiti et Domino, Dn. Stepha-

no Bethlem de Iktar etc. Sereniſſimi Gabrielis, electi Ungariae, Dalmatiae, Gro..tiae et Sclauoniae Regis etc. Nepoti a fratre et adoptiuo. Ex dedicatione patet haec Syllecta coronidis vice Lexico cuidam addita fuiſſe, fortaſſe Latino et Hungarico, quae et videtur eſſe cauſſa cur raro ſola inueniantur. BILSTENII Methodus praefixa eſt Rhetoricae ipſius, ad Conſules et Senatores rein. Lemgouienſis ſcripta, a. 1590. Inſtitutio iuuentutis in Paedag. Palat. ſeparatum ſuum Titulum ac Signaturam, ut Typographi loquuntur, habet, eiusque pars prior continet ipſam methodum docendi, ad pag. usque 57 Sequuntur deinde typi ſingularum Claſſium, continuatur methodus et ſubiiciuntur leges. Methodus breuibus conſtat praeceptis, a Magiſtris obſeruandis, quorum aliquot, ſpeciminis cauſſa, appoſui. „In docendo continua utantur oratione. Singularum lectionum copum, claſſium vero metam, pueris diligenter inculcent. Pronunciationis curata habeatur ratio. In recitatione textus interrogationes a reſponſionibus non diuellantur, ſed utrasque coniunctim reddant. Praeceptor ſecundae claſſis diſcipulos aſſuefaciat, ut, conuerſis interrogationibus marginalibus in propoſitiones ſimplices, analyſin inſtituant, et ſingulorum membrorum confirmationem non

non interrogati ſubiungant. Singulare illud eſt, quod praelectorum e N. T. capitum difficiliores phraſes explicari volumus: eas videlicet, quae in graeco exemplari ſcholae huius ſignabuntur. v. g. ad Rom. II, v. 6. qui reddet unicuique ſecundum opera ipſius: ſecundum quae ſcilicet, tanquam conſpicua fidei teſtimonia, iudicabit. Praeceptor ex meditatione domeſtica allata dicendi exempla diſcipulorum uni, reliquis tantum attendere iuſſis, proponat: id diſcipulus thema, ſi liberum eſt, ex ſuo ingenio, ſin adſtrictum, ad imitationem eius, ad quem conformatum eſt, auctoris, efferat. Commentatio eſt genus dicendi meditatum, cum argumento ad narrandum, ad probandum, ad amplificandum propoſito. Datur ſpatium diſcipulis in Praeceptoris praeſentia ad cogitandum, ut quod alias ſcriptum afferre conſueuere, id iam meditatione atque cogitatione comprehenſum pronuncient. Commentatio iſta inſtituitur in rebus quotidianis et notis. Poſſunt et illa latine recitari, quae ex graecis ſcriptoribus iam ante ſunt explicata.„

Cum CHRISTIANVS WOLFIVS, philoſophus ſaeculi huius celeberrimus, philoſophiam dixiſſet eſſe ſcientiam *omnium* poſſibilium, quatenus ſunt poſſibilia, reprehenſus eſt a viris doctiſſimis, quod fines philoſophiae latius aperiret, quam et ipſius dignitas, et uſus omnis aeui pateretur, defenſusque ab aliis, ut nemini eorum, qui, quae ſuperioribus annis in orbe erudito geſta ſint, meminit, ignotum eſt. Non eſt meum, has componere lites. Illud tantum dico, WOLFIVM non eſſe primum, qui Philoſophiae res omnes ſubiecerit, ſed fuiſſe iam ſexcentis abhinc annis, qui idem diſertis verbis doceret. Eſt is HVGO VICTORINVS, qui ſaeculo poſt Chriſtum natum duodecimo floruit, cujus, praeter alia plurima ſcripta, extat *Didaſcalon, de ſtudio legendi*, in cuius libro primo, eiusque capite quinto, ſic ait: „Philoſophia eſt diſciplina *omnium* „ rerum humanarum atque diuinarum ra„ tiones plene inueſtigans. Nec mouere „ debet, quod ſupra diximus, Philoſo„ phiam eſſe amorem et ſtudium ſapientiae, „ non huius, quae inſtrumentis explica„ tur, ut eſt architectura, agricultura,

„et

„ et cetera huiusmodi, ſed eius ſapientiae,
„ quae ſola rerum primaeua ratio eſt. Pot-
„ eſt namque idem actus et ad philoſo-
„ phiam pertinere ſecundum rationem
„ ſuam, et ab ea excludi ſecundum admi-
„ niſtrationem, verbi gratia — agricul-
„ turae ratio philoſophi eſt, adminiſtratio
„ ruſtici. — Cogimur philoſophiam in
„ *omnes* hominum actus diffundere.„ Ha-
ctenus HVGO. Fuerintne praeter eum alii
quoque eiusdem ſententiae, non habeo di-
cere. Ceterum hoc Didaſcalon, ſexque
priores eius libros, adeundum eſſe ei, qui
ſtatum formamque liberalium artium hoc
aeuo, rationemque tractandi eas, intelli-
gere cupiat, MOSHEMIVS iudicauit, in
Inſtitutionibus hiſtoriae eccleſiaſticae Noui
Teſtamenti. *) Non mihi tempero, quin
adſcribam aliqua, quae ad ingenium ani-
mumque HVGONIS noſcendum perti-
neant. Libri ſexti capite tertio, „Ego,
„ inquit, affirmare audeo, nihil me un-
„ quam, quod ad eruditionem pertineret,
„ contemſiſſe, ſed multa ſaepe didiciſſe,
„ quae aliis ioco aut deliramento ſimilia
„ viderentur — neque ea nunc ſcire ſto-
„ machum meum onerat. — Alia propter
„ ſe ſcienda ſunt, alia autem, quamuis



*) p. 567. ſeq. edit. primae, quae 1726. Jenae prodiit.

„ non propter ſe videantur labore noſtro
„ digna, quod tamen ſine ipſis illa enu-
„ cleate ſciri non poſſunt, nullatenus ne-
„ gligenter debent praeteriri. Omnia di-
„ ice: videbis poſtea, nihil eſſe ſuper-
„ fluum. Coartata ſcientia iucunda non
„ eſt.„ Multae aliae diſcendi regulae haud abſurdae paſſim traduntur in hoc Didaſcalo HVGONIS, de quo, quid libri ſit, neque a CAVEO, neque ab OVDINO, neque a celeberrimo HAMBERGERO, neque ab aliis, quos conſulere potui, quidquam annotatum reperio.

* * *

Qui nihil adoleſcentibus, quod diſcant, proponendum praecipiunt, niſi quod iis iucundum ſit cognitu, ii eadem opera praecipere videntur, ne quid iis tradatur, ad quod percipiendum attentione, acrique animi aduerſione, opus ſit. Plerisque enim adoleſcentibus, ea, quae, niſi diligenter attendas, intelligi comprehendique non poſſunt, plurimum videntur iniucunditatis habere. Nam et per ſe non ſine quadam moleſtia eſt virium contentio, et adimi ſibi indulgendi Phantaſiae ludibriis

dibriis libertatem aegerrime ferunt. At rerum discendarum iucunditate excitari aiunt attentionem, et inuitari adolescentes ad diligentiam. Fateor, si eae iam tum, cum discuntur, aliquid voluptatis impertiunt, quam cum profectu auctum iri sperare possis. Verum sunt multa, quae multum omnino amaritudinis propinent, antequam dulcedinem eorum gustare liceat. „In his, felici quodam caussarum „ reciprocantium circulo, attentio volu- „ ptatem pariet, augebit attentionem vo- „ luptas.„ *) Ac si vel maxime fieri posset, ut non nisi ea traderentur in scholis, quae, dum discuntur, suauiter afficiant adolescentum animos, non tamen id facere consultum videretur. Semel enim non nisi rebus iucundis tractandis assueti, abhorrebunt deinceps a seuerioribus studiis, et multum molestiae sentient, ubi grauioribus opera danda fuerit. Ut taceam alios aliis rebus delectari, ut omnibus simul satisfieri difficile foret. Non optime profecto de iuuentute mereri videntur, qui eiusmodi docendi discendique rationem praescribunt, quae locum uniuerse non habere, aut multis modis variari possit. Nam, ut hoc utar, si qui iuuenes adiuuerint, non nisi iucunda esse in scholis tra-



*) Praefatio I. M. G. ad LIVIVM.

denda, ea vero quae docentur, ad animi ſui ſenſum, parum experiantur iucunda, tum inique ſecum agi, bonae methodi violari leges, magiſtrum eſſe imperitum, pro ſua ſapientia iudicabunt, quae res plus certe incommodi afferet, quam ſi iuberentur etiam ad ea intendere animum, quae initio aliquantum moleſtiae, ſed exitus laetos habeant. Omnis fere taedii abſtergendi, attentionisque excitandae alendaeque ratio, poſita eſt in recto docendi modo, quo praecipue bonus magiſter cenſetur, qui ſi abſit, etiam per ſe iucunda vitiabuntur. Si ne hic quidem, quod oportebat, efficit, ilicet, actum eſt. Haec, cum iam in chartam coniecisſem, occurrere memorabilia ven. D. WINCKLERI, Theologi Hamburgenſis celeberrimi, de inſtitutionis ſcholaſticae methodo, verba, quae ſubiecí: Bey der ſchwerfällig ſcheinenden methode, deren ſich die berühmteſten Schulmänner noch im Anfang dieſes Jahrhunderts bedienten, ſind dennoch mehr gründlich gelehrte Männer der Republic der Wiſſenſchaften zugeführet worden, als in unſern gemächlichern Tagen geſchiehet. Diſs iſt und bleibet wahr. *) Multam haec ſententia, ſi pro vera

*) Excerpta aus dem Denkmahl der Hochachtung — dem — Joh. Georg Burckhard gevvid-

vera ſumatur, diſputandi materiam praebere poſſit ei, qui oſtendere voluerit, qua ratione fiat, ut hodie, methodo ubique fere regnante facili, expedita, philoſophica, pauciores ad amplam copioſamque doctrinam adſpirent, quam cum ratio docendi adhiberetur tota propemodum hiſtorica, et quae multa obſcura, et parum explanata, relinqueret.

* * *

De Dialecticae ſeu Logicae uſu non idem omnes ſentire nemo ignorat. Alii inſtrumentum eſſe, cuius in reliquis diſciplinis addiſcendis magna ſit utilitas; alii in vita etiam communi, et omnis generis rebus diiudicandis expediendisque, multum prodeſſe poſſe, defendunt. Alii omnino eſſe ſuperuacaneam, et ea, quam cuique natura tribuit, ſolertia, nos eſſe contentos volunt. Non eſt mihi animus actum agere, et de Logices uſu diſputare, aut ab utra parte ſtet veritas inquirere. Illud commemorabo, quod incredibile videri

vvidmer, leguntur in dem Altonaiſchen gelehrten Mercurio, anni 1765. p. 164.

deri possit, IOHANNEM STVRMIVM, in ciuilibus pariter ac scholasticis negotiis apprime versatum, Dialecticae etiam, ut est ab ARISTOTELE tradita, hanc laudem, quod etiam in vulgari consuetudine hominum usum praestet, tribuere, in praefatione Dialecticae, quam in usum scholae Argentinensis scripsit: quae etsi tota lectu digna est, non nisi pauca tamen eius verba huc adscribam, ex quibus sententia eius patere possit. Loquitur autem non de Dialectica sola, sed etiam de Rhetorica, quae et ipsa δύναμις est, ἀντίστροφος Dialecticae, non ἐπιστήμη. Sic igitur ait:

„ Eam vim hae duae artes habent, ut tam-
„ etsi praeceptiones in loquendo atque
„ dicendo non appareant imperitis, prae-
„ sentes tamen ipsae sint, neque sint in
„ animo eius, qui dicit, otiosae nihilque
„ agentes: Sed id efficiunt, ut, tamet-
„ si in conuiuiis et conuenticulis ciuium
„ non nominentur hae facultates (neque
„ propositionum, neque conclusionum,
„ neque ullius dialectici vocabuli, ne qui-
„ dem a literatis fiat mentio) tamen in
„ illis ipsis congressionibus amicorum
„ ambae tacite adhibeantur a literatis, ne-
„ que sinant aliquid vel leue, vel falsum,
„ vel pugnans, vel indoctum atque im-
„ politum exire, quod vituperari repre-
„ hendique possit. „ Insigne profecto Logicae

gicae elogium, quod ſi in Ariſtotelicam, multo magis in eam cadit, qua hodie utimur, quodque mouere poſſit eos, qui Viri magni auctoritatem ſequi non detrectant, ut diligentem ei diſcendae operam nauent.

Quae attulimus, haud illa quidem magni momenti, fatemur enim, non abludunt a ſcholaſtica ſolennitate, cuius cauſſa proponi hanc tabulam conſuetudo iubebat. Exploratis nimirum ſtudioſae adoleſcentiae per ſingulas curias profectibus, Orationes, die craſtini, ex more, publice recitandae, ac praemia diſtribuenda, ſignificamus. Et Vir quidem ſumme reuerendus, IOHANNES ADAMVS LEHMVS, ECCLESIARVM ROTENBVRGICARVM SVPERINTENDENS, de *Poëſi Librorum quorundam Apocryphorum veteris Teſtam.* aget; IOHANNES autem LVDOVICVS FRIDERICVS BELZNERVS, Reip. Alumnus, *de quibusdam diuerſitatis ingeniorum cauſſis*, breuiter diſſeret. Cui actui, ut, qui inclitae huic Reip. feliciter praeſunt, Viri illuſtres, generoſi et magnifici, praenobiliſſimi, praeſtrenui, ampliſſimique, Muſarum noſtrarum Patroni munifici, tum ceteri omni-

omnium ordinum Viri, ſuis quisque meritis titulisque ſpectabiles, et quicunque praeterea literis literarumque cultoribus, literati ipſi, fauent, frequentes intereſſe dignentur, maiorem in modum petimus atque contendimus.

PP. Rotenburgi ad Tubarim, a. d. XXVI. April.
CIↃ IↃ CC LXX.

# INDEX

10759799

# INDEX PROLUSIONUM,

I.

Vita Ioannis Georgii Styrzelii. Pag. 1.

II.

De Citharoedis. 24.

III.

Paradoxa quaedam. 34.

IV.

Monita adolescentibus literarum studiosis suggesta. 45.

V.

Monitorum adolescentibus literarum studiosis suggestorum pars altera. 74.

VI.

Legendi studium. 86.

VII.

Paradoxa. 93.

VIII.

Causae contemtus auctorum classicorum. 103.

IX.

Occasio facile discendi. 114.

X.

Historiae Gymnasii Rotenburgensis Particula prima. 124.

XI.

Rerum ad Historiam Gymnasii Rotenburgensis pertinentium Particula secunda. 136.

XII.

Rerum ad Historiam Gymnasii Rotenburgensis pertinentium Particula tertia. 148.

XIII.

Rerum ad Historiam Gymnasii Rotenburgensis pertinentium Particula quarta. 162.

XIV.

Rerum ad Historiam Gymnasii Rotenburgensis pertinentium Particula quinta. 175.

XV.

Rerum ad Historiam Gymnasii Rotenburgensis pertinentium Particula sexta, eaque ultima. 189.

XVI.

Parentum officia. 201.

XVII.

XVII.
Senſuum uſus diſcenti non negligendus. 210
XVIII.
Quid ſit diſcere. 218.
XIX.
Inſtitutio ad varietatem ingeniorum adcommodanda. Comment. I. 226.
XX.
Inſtitutio ad varietatem ingeniorum adcommodanda. Comment. II. 235.
XXI.
De educatione et inſtitutione puerili. Particula I. 244.
XXII.
De educatione et inſtitutione puerili. Particula II. 250.
XXIII.
De educatione et inſtitutione puerili. Particula III. 256.
XXIV.
De inſtitutione puerili. Particula IV. 262
XXV.
De inſtitutione puerili. Particula V. 268
XXVI.
De inſtitutione puerili. Particula VI. 276.
XXVII.
De inſtitutione iuuenum. Particula VII. 284.
XXVIII.
De praeſidiis et requiſitis inſtituendae iuuentutis. 291.
XXIX.
De bibliotheca Rotenburgenſi. 296.
XXX.
De librorum neceſſitate et bibliothecae incremento, item de Speculo Saluatoris. 316.
XXXI.
De bibliotheca Rotenburgenſi. 337.
XXXII.
Notitia quatuor Speculorum Vincentii Bellouacenſis. 349.
XXXIII.
Catalogus librorum de inſtitutione. 364.
XXXIV.
De Molnari Syllectis ſcholaſticis. Definitio philoſophiae Wolfianae. An omnia iucunda tradenda ſint. De uſu Logicae locus Sturmii. 385.

10759799

10759799

10759799



10759799